T. PISECI
a Martowice

RESPONSIO
Ad
DECEM RATIONES
EDMUNDI CAMPIANI
JESUITÆ.

E Typographeo Sternaciano,
Quod est Racoviæ, Nobili Poloniæ opido.
1 6 1 9.

ILLUSTRI ET MAGNIFICO
DOMINO,
D. IACOBO SIENIENSKI
à Sienno, PALATINIDÆ Podo-
liensi, &c. Domino suo omni
observantiæ genere colen-
dissimo, S. D.

Veritatis indago, ILLUSTRIS *&* MAGNIFICE *Domine, requirit suum temporis progressum. Nam si Tulliano judicio nihil est in natura rerum omnium, quod se universè profundat, & quod totum repentè evolet, sed omnia levioribus principiis natura prætexuit: idem de natura veritatis dici posse, quis dubitet? Ad hanc inveniendam & confirmandam, non temporis momentum, sed tempus ipsum; non sententia unius, sed multorum diligentia adhibenda est. Liquet hoc in magno Philosophorū theatro. Nulla pars philosophiæ inculta est. Videas tamen ingenia exercitatißima adeò inter se dissentire atque discordare, ut magnam philosophiæ partem adhuc desertam penè judicare poßis. Est infirmitas hæc in rebus, quas natura producit, sensus explicant, theoremata confirmant. Quid in divinis, quorum veritas non a natura, non a sen-*

sensu, non a theorematis philosophicis, sed à Deo, sed ab oraculis & legibus divinis dependet, fateri oporteat? Equidem Deus non omnem sapientiæ suæ liquorem in hominem effundit, quem sensim ad ultimos mysteriorum limites ducit. Leges verò divinæ, ad quarum firmam & solidam auctoritatem, quicquid est controversiarum in religione Christiana, expendimus, adeò concinnatis hæreticorum erroribus contortæ sunt, & in alium sensum deflexæ, ut non mirum videri debeat, divinißimam Christi religionem novam quandam, & ab Apostolorum Ecclesiis alienißimam pati formam. Hinc illa in hæresi ad veritatem traducenda difficultas. Multum igitur debemus viris, qui primi cum Pontificiis animosè congreßi, magna veritatis in lucem ex abysso tenebrarum proferendæ jecerunt fundamina. Plus tamen posterioribus, quorum operâ Deus in vero plenius interpretando, usus est. Limarunt priores, quicquid limâ dignum judicarunt. At non lima, sed litura adhibenda erat, & prima illa divinæ lucis integritas in publicum reducenda. Quod si Romanorum fimeta purgari poßint, Hercules nobis, Hercules imitandus est, qui Alpheum fluvium in campos Augiæ divertat, omnemq; fimi copiam deleat. Is est rapidißimum Scripturarnm flumen, quo in Romanorum fimeta immisso, omnes errorum & superstitionum campi purgantur. Hæc nos cum agimus, quanto odio sumus adversariis? Ringuntur, convitiis & devotionibus adversarios petunt, & quæ non moliuntur? Sint linguæ suæ domini: nos aurium nostrarum. Magnum victi argumentum, a rationibus ad trivialia verba & dirarum pondera progredi, invidiosè criminari, maledictis figere, probra ingerere. Est ardeæ natura propria & sua, quando capta est, sordes & retrimenta in falconem emittendo, violentiæ obsistere, quorum contactu pennæ & alæ victoris computrescant. Ita adversarii nostri, ubi nos in arcem caussæ invasisse, rationes suas & vires argumentorum prorsus expugnatas vident, incipiunt contumelias jacere, ut ita viros integros & bonos, immo caussam ipsam, quam tuemur, labe infamiâq; aspergant. An potius hujus generis convitiis de nostro rescribendi officio contraveniunt, & tacitè silentiū imperant? Dū enim tā maledicè contumelioséq; adversariis dicunt, quid nisi verentur, ne, si adversarii caussam suā contentis viribus defensum ierint, palàm caussæ diffidere, cōtentionē relinquere videantur, qui tacitè jam hastam abjiciunt? Talia me præfari jubet scriptum, aut, ut veriùs dicam, Satyra Romani Flaminis, Iacobi Ostrovii, quam numperri-

perrimè, cum responsionibus hisce meis finem imponerem accepimus, strictam in virum pietatis, doctrinæ, modestiæ ornamentis clarum. Dolemus sanè redire priscum illum morem, ut e plaustris spargantur convitia. Miramur, quòd auctor is non ethnicus cùm sit, sed Christianus: non solùm Christianus, sed in studiis versatus: nec tantùm eruditus, sed doctorem agens: non doctor artium humanarum, sed theologiæ: non theologus e plebe sumptus, sed nobilis, isq; cui Scargam, unum e Iesuitarum societate tueri propositum; ethnicos mores, imperitas rationes, crassas argutias, linguam & frontem plebejam, animum deniq; ignobilem publicare ausus, id quod mimis, histrionibus, circulatoribus, & hujusmodi hominum prodigiis convenientissimum. Tantum potuit animus in adversarios malevolentiâ suffusus. Nostrum est, caussam & mentem adversariorum vel in hoc uno Romanorum sacrificulo, tanquam in speculo, tanquam in tabula cognoscere, devotiones, convitia, minas, ipsum deniq; contemptum contemnere. Studium offensas vindicandi aliis ad convitia regerenda natis mittimus. Quidni mittamus? Iam nostram vicem ulciscitur ipse sese. Non lædit, sed illustrat caussam nostram hæc hominum invidia, eamq; in luce Christianorum

anorum positam, ab impetu hostium tutissimam, ab omnibus argutiis securam, non nisi devotorio argumentorum genere affici utcumq; posse, ostendit. Quia verò satis intelligo, Illustris & Magnifice Dominе, generosum tuum animum variis scriptorum generibus delectari, quæ in theologica Veri & Falsi disceptatione versantur, audeo meas hasce decem argumentorum Romanorum rejectiones tuo nomini offerre & inscribere. Cædo capita rationum, quas adversarii à scripturis earumq; sententiis, à natura Ecclesiæ, à Conciliis, à Patribus, eorumq; firmamentis, ab historiis, à paradoxis, à sophismatis, ab omni denique testium genere, contra hæreticos afferunt. Ostendo, has ipsas rationes in adversarios pugnare, tantum abest, ut earum numerus caussam nostram hebetet. Nec despero, Deum veritatem suam cælestem, his adversis temporibus ac perditis moribus oppressam, in veterem statum ac dignitatem vindicaturum. In libertatem dicam? Nulla fuit unquam libertas veritatis liberè & palàm profitendæ, quam Judæorum cæcitas, insipiens Græcorum sapientia, æterna Romanorum tyrannis variis criminibus, contemptionibus, ludibriis, seditionibus, cædibus nō obterebat & contundebat. Hoc verò

NB.

rò, quicquid est mearum lucubrationum, benignè exceptum iri non dubito, atque ut votis meis eventus respondeat, etiam atque etiam peto. Interim DEO rerum omnium rectori supplico, ut illustrem M. tuam incolumem servet quàm diutißimè, ad gloriam sui nominis sanctificet, & ab omni eorum impetu defendat, quos Dei & Ecclesiæ hostes Deus ipse & Ecclesia lucidißimâ Evangelii luce illuminata judicat. Cal. Julii, M DC IIX.

ILLVSTRI MAG. T.

addictiss: cliens

THOMAS Pisecki.

PRAELOQUIUM

Ad Pontificios.

PRÆCLARE lacteus ille & mellitissimus scriptor: *Defendenda religio est, non occidendo, sed monendo: non sævitiâ, sed patientiâ: non scelere, sed fide. Si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur.* Lactãt. l.5.c.20 Illi igitur videntur sacra religionis rumpere, qui furenti animi adfectu, odiis & alio impatientiæ morbo, adversariis fidem suam tuentibus, laborant. Vestrum est, viri Catholici, id, quod gentilitium vobis, deponere, & novos animos judicio & patientiâ armatos assumere, quoties ab adversariis veritas religionis propugnatur. Integram vobis a Patribus doctrinã Christi relictam esse, aitis; hancque multis seculis in orbe terrarum floruisse, & adhuc florere. Videmus nos Romanam Ecclesiam opinionibus Patrum & Pontificum florentem: Doctrinam Christi in eadem Ecclesia traditam non videmus. Nobis autem Prophetas, Christum, Apostolos vestris opinionibus apertè & directè opponentibus, mentis quendam furorem tribuitis. Ad religionis principia venimus. Vos Ecclesiæ, nos scriptu-

rarum auctoritatem afferimus. Clamatis: Evangelio nō crederem, nisi me moveret Ecclesiæ auctoritas. Nos contra: Ecclesiæ non crederem, nisi me moveret Evangelii auctoritas. Quid assequimini magnifica Ecclesiæ ostentatione? inanem ostentationem. Quid nos opposita Evangelii auctoritate? crimen hæreseos. Nihil magis igitur curandum atque hoc, ut veritas certis disputantium argumentis, tanquam ignis, lapidis & ferri attritu, eliciatur. Præsens institutum meum est, rationes Edmundi Campiani, quas ille Anglis quondam objecerat, a nostris Ecclesiis repellere. Consilium & occasionem scribendi obtulit vir Illustris, vestræ fidei sectator. Is libellum Campiani recens in Polonia nostra impressum, uni ex nostris loco munusculi dedit, fine veritatem Christianam ex eo docendi. Animadverti, suspicari Romanorum quàm plurimos, vel rationes Iesuiticas ab adversariis nondum discussas, vel rationum vires alibi oppressas, hic in Sarmatico regno plurimum posse, in adversariorum animis ad Catholicos traducendis. Præsensi, libellum Iesuiticum non minus in Calvinianos, quàm in nos prodiisse, idque ex donatione viri Illustris faciliùs judicare cœpi. An responderem, dubitavi,

tavi. Suasit impetus, dissuasit ingenium, & primæ earundem rationum rejectiones ab Anglis publicatæ. Monuit tamen defectus exemplarium. Monuit justissimæ caussæ defensio. In hac ita me gessi, ut quæ ab aliis solidè refutata, quæque nobis jure meritoque objici nequeunt, intacta relinquerem. Nonnunquam a lege respondendi abeo, sed rationes tamen in auctorem earum appositè retorqueo. Quid ergo? Si vobis, quæ afferimus, non satis probantur, cessatis errores ire oppugnatum? Auctoritatem Catholicam deprimimus? erigite. Rationes nostras acuimus? obtundite. Errores vestros accusamus? excusate. Superstitiones damnamus? absolvite. Testes errorum & superstitionum admovemus? amovete. Principum, episcoporum & scriptorum Romanorum testimonia a caussa vestra alienamus? reconciliate. Licet rationes cum rationibus, res cum rebus, verba cum verbis committere. Non ad arma, non ad tyrannidem, non ad superstitiones, non ad idololatriam, non ad traditiones, non ad fabulas & commenta hominum vocamini. Veritas est, quam commendamus, quam defendimus. Verbum Dei est, ad quod omne rationum & argumentorum robur exigimus. Cedant

præjudicatæ opiniones. Procedant rerum argumenta. Si nostrum studium odia vestra & inimicitiæ persequentur: hanc conditionem veritatis esse novimus. Veritatem loquimur, loqui non erubescimus. Si penes vos eadem, quid veremini? Nullis machinis, nullis argutiis, nullius hominis ingenio subverti poterit. Adeste, scripturis & rationibus certemus, non minas, non gladios, non palos, non ignes, non cruces, non exilia, non tormenta, non bruta anathematum fulmina loquamur. Christianorum illud: hoc ethnicorum. Ecquid dubitatis, eos barbarorum judicio ferri, qui ob antiqua retinenda civium dissensiones faciunt? Propriũ hoc gentilium, ne quis novum aut externum ritum coleret, vetare: secus facientes, odisse, aut etiam supplicio puniisse. A-
Ioseph. Apion. l. 2. thenienses virus acerbitatis suæ in eos effundebant, qui spretis patriis diis, novos introducerent. Periit hanc ob caussam divinus Socrates, Anaxagoras Clazomenius, Diagoras Metius. Idem veritus Plato, confessus est, veram de Deo opinionem in vulgus proferre non esse tutum. Protagoras exilio vitam redemit. Scythæ humanis cædibus gaudentes, & parum a bestiis discrepantes, Anacharsim illum, cujus sapientia Græ-

cis fuit admirationi, ad se reversum interfecêre, quod Græcorum deorum plenus venire visus est. Motus ab his regno Scyles ob peregrinam religionem susceptam. Persæ prisca instituta retinentes, ubi Xerxes in Græciam cum exercitu trajecisset, omnia deorum Græciæ templa, Magis auctoribus, inflammarunt. Taceo martyria sub Imperatoribus Romanorum, morem barbarorum & antiqua instituta defendentium. Quibus pergunt esse similes nostræ ætatis homines, quos nemo de hujus amentiæ possessione deturbaverit. Alia mens veterum Romanorum. Pressi eorum dominatu Judæi, sed non Judæorum religio. Sexcentæ nationes penè in urbem Romam fluxerunt, quibus singulis sacra sua cetusque patrii erant. Liberè suos deos singuli colebant, nec ad unam religionem cogebantur. Nec inter omnes barbaros tanta barbaries. Constat Mahometanorum religio duabus ac septuaginta sectis, quæ ab uno fonte rivi more deductæ in populum, per vim publicam tolluntur minimè. Damno hæreses, ex quibus sacrorum contemptus, rerum confusio. Illum prodit impietas & religio ex commentis humanis enata. Hanc minatur subdola pietatis ostentatio, privatis juncta commodis. Si nulla Dio.

contemptus & confusionis sunt argumenta, cur fraudi sua cuique sit religio? Non aliud prisca Hebræorum ferebat consuetudo, affirmantium, oportere, ut sua quisque voluntate, non vi, Deum colat. Eadem mens Christianis, qui recentiores a temporibus Christi fuère. Rectè Tertullianus: *Non est religionis, cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Solenne Græcis erat, diris maledictis eos petere, a quibus de veritate dissentiunt. Quos titulos, Romanorum judicio, merentur? Levitatis & Perversitatis. Vtrunque fugitis, viri Catholici? Ponite simultates. Amemus inter nos, & regnum veritatis omni studio, curâ, diligentiâ, modis omnibus, ab impetu errorum & pravarum opinionum defendere conemur. Pugnent hominum judicia. Vincat veritas. Triumphet religio.

Ios. in vita sua

Ad Scapulam.

Decem rationum numerus & ordo.

1. Sacra Scriptura.
2. Sententiæ ſacrarum littera-rum.
3. Natura Eccleſiæ.
4. Concilia.
5. Patres.
6. Firmamenta Patrum.
7. Hiſtoriæ.
8. Paradoxa.
9. Sophiſmata.
10. Omne genus teſtium.

Prima ratio

Sacræ Scripturæ.

A SCRIPTURIS *incipit Campianus. Videtur autem hîc agere, ut oſtendat, hæreticos triplici ratione ſuam in cauſſa diffidentiam loqui. Prima eſt: Rejectio quorundam codicum. Altera: Verſiones, quibus multa in ſacris literis pervertantur. Poſtrema: Cæleſtis chirographi ut manci, ut falſi, ut ſurreptitii condemnatio. Rejectionem ponit in detruncatione & reprobatione quorundam librorum, quos adſcivit Eccleſia. Largimur adverſariis hanc rationem, omnes, qui divinis codicibus vim & manus inferunt, cauſſæ ſuæ defenſionem deſperaſſe. Quinám illi? Manichæos & Ebiones hæreticos non excuſo. De noſtræ ætatis theologis res eſt, quos item, dum quædam genuina Apoſtolorum ſcripta repellunt & repudiant, iniquè facere judico. Exiſtimo autem nullam nobis litem ab adverſariis motum iri, qui non modò corpus Scriptu-*

ræ universum non detruncamus, verùm etiam illud adeò omnibus suis partibus esse integrum, ut ad constituendam religionis formam & omnes fidei controversias, quæ salutem nostram propriè concernũt, sufficere affirmemus. Quia verò quiritantur, quosdam ab iis, qui sunt extra Ecclesiam Romanam, reprobari libros, eq́; Canone dispungi; caussam inter Ecclesiæ suæ architectatores inquirant. De Iacobi Epistola suum Eusebius affert judicium, eam adulterinam esse. Ratione subjecta, quòd non multi veteres ejus meminêre. Iniquè Lutherus: imperitè Eusebius. Ille excludendam putat, quia stante epistolæ auctoritate, caussam suam, quã tuendam suscepit, amittit. Hic ex infirma caussa rem concludit. Cæteros sacrarum literarum codices, de quibus controversia est, non esse in Canone, Hieronymus attestatur. Non habent verò eandem cum aliis libris auctoritatem, vel quòd ab illegitimis scriptoribus fuêre conscripti. Nam

Cont. Ap. l. 1. *teste Iosepho, tale scribendi negocium, quod omnium calculis approbari, & pro divino*

divino agnosci debeat, Pontificibus duntaxat & Vatibus mandatum fuit: & quorumcunq́; certa non fuit successio, eorum libris non eadem, quæ superioribus, fides erat adhibita. Minoris igitur Apocryphorum habenda est auctoritas: non tamen prorsus exterminanda. quandoquidem à cæteris rerum divinarum argumentis minimè dissentiunt. Si pleraque illorum privatas redolent opiniones, quis incertam codicis auctoritatem divinæ & infallibili præferat sententiæ? Atenim in catalogo sacrarum literarum pertexendo, non privatus, sed ille spiritus, quo totum Ecclesiæ corpus Christus animat, pro regula ponendus est. Commune igitur Ecclesiæ Romanæ αὐθουσιῶδες *appellandum, & pro regula ponendum? Scilicet illæ an sint & quæ sint, adhuc in quæstione versantur. Si residet in quibusdam scripturis, de numero codicum sollicitis; eximat hunc collatio & divinarum scripturarum majestas. Quamquam ponimus inprimis illud adynaton, Deum, cujus bonitas & providentia infinita est, permis-surum*

ſurum fuiſſe, ut codices ſacri, in quibus ſeſe nobis, mentem ſuam & ſalutis viam aperuit, amitterentur, alii pro aliis ſubderentur, veri a nothis diſcerni non poſſent. Ideoq; initia naſcentis Eccleſiæ ſacris ſcripturis in unum volumen congeſtis, excernebant ſuppoſititias. Quàm citò Euangelia Nicodemi, Thaddæi, Barnabæ, Nazaræorum, Petri, ad Hebræos, Mathiæ, Thomæ, Philippi, Evæ, ſecundùm Syros & Ægyptios auctoritate ſua privata & ſuppreſſa ſunt? Codex Apoſtolorum quàm nunquam a prima connexione diſſolutus? Quicquid in hunc prima illa & ſubnaſcens Apoſtolicæ doctrinæ Eccleſia conjecerat, incolumia omnia ac ſalva ad nos delata. Hos igitur Romanis acceptum ferendum eſt? Ipſi potius primis referant Eccleſiis. Hoc tamen, quod priorum conſuetudinem, antequam paullò poſt exorti adoleviſſent, in excernendis nothis libris, ſæpius retulerint. Quod ſi ordo & numerus librorum Romanæ Eccleſiæ auctoritate obſignatus non fuiſſet, vix puto integritas illa codicum in periculum vocari

cari

cari potuiſſet. Iam enim pullulante Romanorum Eccleſia, ab omnibus Chriſti nomen profeſſis, codices illi recepti ſunt, nec amplius lites de ſcriptis Apoſtolicis movebantur. Detulit igitur ad nos Romanus, quod non deferri impium & ſacrilegum eſſet. Detulit eo ordine & numero diſtinctum, quo a prioribus Romanam Eccleſiam antegreſſis diſtinctum acceperat. Si qua hæſitatio de ſcriptis ad nos delatis mota fuerit, cauſſa non in ſcriptis, ſed in homine ineſt. Atqui Eccleſia cuſtos eſt hujus depoſiti. *Si Romana: ô cuſtodem durum! Cur enim eos non admiſit, quibus tanto temporum intervallo ſacra illa volumina videre non licuit? Cur ab hoc depoſito arceantur, ad quos non minus ſalus vitæ pertinet, quàm ad Antiſtites? Egit verò cuſtodem, quem non egiſſe, quantum crimen eſſet. Ita ordinavit divina providentia, ne umquam divinæ veritatis oraculo privaremur. Quemcunque huic tam divino theſauro cuſtodem præfecit, cuſtos erat. Erant tamen alii, qui non ut cuſtodes, ſed ut poſſeſſores, ad quos depoſitum*

illud

illud pertinebat, ſacras litteras fovebant, & vitam ad certam præceptorum Chriſti normam dirigebant. Sed enim propriè loquendo, Deum Romanam Eccleſiam cuſtodem depoſiti hujus poſuiſſe, negare omnino non licet. Fuit enim depoſitum alterius, non errantis Romanæ Eccleſiæ, illud ſibi creditum, aliis tandem aliquando redditura. Quibus verò? Illis tanquam veris poſſeſſoribus, qui Romanorum errore cognito, principia religionis verè Chriſtianæ erant quæſituri. Quod igitur longo ſeculorum tractu ſacras litteras accepimus, deq; earum integritate, fide, auctoritate judicare poſſumus, primæ Eccleſiarum origini, tanquam judici; Eccleſiæ Romanæ, non ut poſſeſſori hujus depoſiti, ſed ut cuſtodi, ſecundùm Deum acceptum referimus. Noſtrum eſt, ut depoſitum jam tãdem nobis redditum, illud eſſe, quo ſumma religionis Chriſtianæ ad vitæ & gloriæ æternitatem ducentis continetur, agnoſcamus, ſecundùm ejus præſcripta vivamus, alios ad veritatem præſcripto judicandam excitemus. Inſuper argumentis ex ipſis religionis Chriſtianæ principiis confirmemus, Eccleſiam Romanam reformari non poſſe, ut, ſcoriis licet opinionum & ſuperſtitionum purgatis, priſcum illum veritatis & religionis nitorem recipiat: ſed ita transformandam, ut ad prima & vetera principia vetus ille religionis cultus revocetur. Hoc ubi admiſerit, non jam ut cuſtodem diviniſſimi depoſiti, ſed ut poſſeſſorem & hæredem aget, cujus partes ſunt, non cuſtodem eſſe, ſed in eo uſum habere, fructum capere, perceptum in animo cæleſtia ſpectante reponere. Sed ne plus cuſtodiæ Romanorũ quàm par eſt, tribuiſſe videamur, Deus eſt, qui animi & ſapientiæ ſuæ theſaurum etiam inter veritatis oſores & Eccleſiæ ſuæ hoſtes latere, tandemq; orbe terrarum integram famem ad cognitionẽ veritatis afferente, exponi voluit. Ad Verſiones ſcripturarum quod attinet, primam intendant actionem, verſiones ex fontibus ipſis æſtimari. Magnum criminis hujus diſcrimen. Hieronymus in hac cauſſa: Cogimur, *inquit,* ad Hebræos recurrere, Hier. in com. ad c. 8. Zachar.

rere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis, quàm de rivulis quærere. *Magnum fidentiæ argumentum, ſuam ex ipſis rerū princiiptis cauſſam tueri velle; cætera ſunt diffidentiæ ſigna. Alterum crimen eſt, a nobis ſcripturas vertentibus multa perverti. Nempe commenta Romana. Doctæ & fidæ interpretationes, absque calculo Romano probantur. Sæpius lumen præferunt ſcripturis, in quibus contumax erroris publici defenſio æternùm caliget. Evincant, neminem doctè & fideliter ſcripturas interpretari poſſe, niſi judicium ſpiritus Romani acceſſerit; imus, & officia verſioni debita deſerimus. An illud agunt, ne vulgata verſio tamquam incorrupta, ad fontes Hebræos & Græcos exigatur? Atqui plurimi aggreſſi ſunt ſcripturas de fontibus interpretari, quorum privatum judicium probat Eccleſia Romana. Quod ſi editio vulgò recepta omnium juſtiſſima, & pro authentica habenda, nec ullis erroribus ſcatet, aliorum interpretationes ab Eccleſia approbatæ ſuſpectæ ſunt gravium errorum*

rum. Vehementer enim in locis quàm plurimis inter ſe diſſentiunt. Aut certe vulgata illa verſio erronea, ſi interpretationes recentiorum ab Eccleſia Romana iuſtè probantur. Doctorculos illos temulenti impetus reos, meritò Campianus accuſet. Sed reos. Cætera quæ paſſim affert, nec perſequi nec examini ſubjicere viſum. Nihil enim eſt, quod pugnet in cauſſam, quam agimus.

Ex his liquidò patet, nullum eſſe primæ rationis pondus, quod diffidentiam in cauſſa noſtra loquatur. Gravius verò colligi poteſt, quod diffidentiam & deſperationem Romanorum arguat. Nam quid cauſſæ fuit, ut Eccleſiæ auctoritatem & hujus ſpiritum tantopere jactent, nec ſacras litteras pro veris & primis religionis noſtræ principiis ſolas agnoſcant? Deſperatio. Si enim certis & infallibilibus rerū & teſtimoniorū argumentis ſua dogmata probare poſſent, ſacras litteras ſolas utique pro regula fidei & omnium controverſiarum ponerent. Illud quia in Eccleſia Romanorū ἀδύνατον, Eccleſiam ſeu curiæ

curiæ Romanæ antiſtites tanquam primos & infallibiles rerum divinarum interpretes ſupponunt. Quid cauſſæ fuit, ut proprium & præcipuum Scripturæ finem eſſe ſtatuant, non ut ſit regula fidei, ſed tantùm, ut ſit commonitorium quoddam, utile ad conſervandam doctrinā ex prædicatione arreptam? Deſperatio. Etenim ſi verum ſcripturæ finem agnoſcerent, eas normam religionis Chriſtianæ abſolutiſſimam eſſe, ruerent illico è ſedibus ſuis omnia fidei Romanæ fundamenta, imperioſa Eccleſiæ auctoritas, Concilia, Patres, firmamenta patrum, fallax omne genus teſtium: Prodirent nullo defenſore in publicum paradoxa & ſophiſmata Romanorum. Quid, ut non omnia dogmata ad fidem & vitam Chriſtianam neceſſaria in ſcripturis contineri aſſerant? Deſperatio. Hoc enim conceſſo, prægnantes illas traditionum ampullas tolli oporteret. Quid, inquam, cauſſæ fuit, ut vernaculas ſcripturarum verſiones nec neceſſarias, nec admodum utiles, ſed potiùs ſæpe noxias: & proinde earum lectionem

nemini permittendam, niſi qui facultatem ab Epiſcopo impetraverit, judicarent? Deſperatio. Vident enim tantam in ſcripturis lucem, tantam ad errores & ſuperſtiones detegendas ineſſe virtutem, ut verendum ſit, ne illarum ſenſu plebi vel artium omnium imperitis conceſſo, flos ille ſuperſtitionum Romanarum, qui jam veritatis divinæ afflatu marceſcit, penitus defloreſcat.

Ratio II.

De ſententia ſacrarum litterarum.

VT acerbiùs in ſpiritum judiciumq; hæreticorum invehatur, eosq; vehementiùs inſectetur Campianus, occaſionem ex ſacris litteris, non ad ſenſum Eccleſiæ Romanæ expoſitis, arripit. Agendum igitur hic de noſtro animi judicio, quo in explicanda ſcripturæ ſententia ſtamus. Primùm quidem conſtanter aſſerimus, ſententias ſcripturarum in rebus ad ſalutem abſolutè neceſſariis planas & plenas eſſe,

*neq; ut in earum interpretatione ad
proprium quisq; spiritum judiciumq;
suum se referat, opus esse. Nam si omnia,
quæ ad rem absolutè necessariam requi-
runtur, per se aperta sunt, nec ullius ex-
plicatus indiga, privato quid opus judicio?
Orationem in hoc genere apertam, pro-
bant Apostoli; dum per literas verbis gra-
vissimis mysteriisque plenis cum iis collo-
quuntur, qui rudes & solidæ eruditionis
expertes erant. Non enim tam obscura
& ambigua utuntur oratione, ut expla-
nationes adhibendæ sint, qui suum ad ple-
bis ingenia stylum accomodant. Et quæ-
N.B. 1. nam est ratio salutis nostræ? Primùm, uti
gratiam divinam, principem summi boni
2. caussam, agnoscamus. Alterum; vitam
hanc sanctè & innocenter agamus. Po-
3. stremùm, diem promissorum, quem Dei
filius repræsentabit, expectemus. Totum
hoc solide & dilucidè præscriptum. Ni-
hil enim apertius, nihil plenius in uni-
verso sacrarum litterarum codice legi-
tur, quam ut omnes cultores terræ con-
stituti, cognitione bonitatis divinæ per-
cepta,*

*cepta, sensus amittant humanos, asse-
quantur divinos, si naturæ divinæ consor-
tio frui velint. Sed quid caussæ, ut omnes
cognita fidei ratione, salutem remissiùs
curemus? Arcta felicitatis via. Profunda
terrenorum cupido. Ratio salutis a Ro-
manis, & hujus generis seminisq; hære-
ticis conficta, nihil cum ea, quam Chri-
stus attulit, habens commune. Præter
hæc, contemptus scripturarum, & appro-
bata traditionum dignitas. Nam qui per-
suasum habet, scripturas sine traditioni-
bus non admodum necessarias esse; tradi-
tiones autem simpliciter necessarias: is
verò Christi doctrinam nec veneratur,
nec exprimit; sed totus ad nænias Roma-
norum conversus, vitam suam ad institu-
ta Pontificum, & cerimonias partim ab
Ethnicis, partim a Iudæis, partim ex sen-
tentia eorundem Antistitum profectas
diriget. Sed apertissimam esse in his scri-
pturarum sententiam, satis confirmant
omnium hominum testimonia, quos con-
scientiæ stimulus impietatis accusat. Pos-
se & debere vitam nostram ad Christi le-*

 gem,

gem, quantum in nobis est, conformari, negat nemo. Etiam aliis fidei articulis, quos Christianus absolute necessarios agnoscat, obfuit Romanus spiritus. Esse Deum æternum & unum, scriptura apertè loquitur. Admove Romanas traditiones, quàm obscura caligo hoc quicquid lucis est, offundit? Audis Deum genitum, audis trinum. Quo judicio censes hanc discuti caliginem? Tolle præjudicatas opiniones & humanas traditiones. Distincta est ambiguitas, discussa caligo, citra omne privatum hominis judicium. Est quidem sacrarum litterarum oratio interdum vel naturâ suâ obscurior, vel iniquis & imperitis rerum æstimatoribus obscuram, perplexam, dubiam sententiam reddentibus. Obscuritas a natura orationis, potissimùm est in rebus ad salutem comparatè necessariis. Hic tuum animi judicium adhibe. Quid enim? Naturæ arcana sensus nostri interpretantur. Itáne Deum comparasse, ut in secretis naturæ explicandis animus noster laborum stimulis quàm gravissimis excutiatur,

tiatur, corpus ad extremum usque desudet sudorem: in enodanda legis divinæ voluntate bono ocio usque quaq; abutamur? Eò arrogantiæ processit Pontificum auctoritas, ut omnibus ex regia sacrarum disciplinarum eliminatis, integrum earum judicium sibi vendicaret: nec tantum sui iudicii statueret, religiones interpretari, verùm etiam ceteros chrysmate sacerdotali minimè illitos, nec rasura pilorum signatos, jure earum communi privaret. Porrò si nihil citra Ecclesiæ Romanæ consensum tentandum, nihil in theologicis explicandum, quem scripturæ statuamus interpretem? quem controversiarum judicem? Ecclesiam? Concilia? Romanum deniqúe Pontificem? Atqui Deus judicem œcumenicum, quem scilicet perpetuò totus Christianorum orbis pro summo & unico omnium controversiarum judice in terris agnoscat, eum appellet; utq; is legem Christi interpretetur, sententiam voce ferat, & rem judicatam exequatur, constituit neminem. Ratio est, quia nullum judicium talium

controversiarum necessariò exerceri voluit. Imò talem arbitrum non debuisse constitui, vel ex eo colligi potest, quòd Christi lex non compellit quemquam ad obediendum sibi. Id verò per absolutum judicem fieri oporteret, rem judicatam exequentem. Excitandi sunt homines, & ostensa sententiæ veritate ad veram fidei & religionis formam alliciendi. Cætera, ubi studia & nostri conatus inanes, Deo & rerum opportunitati committenda, salvâ præsertim & incolume pace publica. Errantes erroris nondum convictos in aliam mentem metu pœnæ impelli velle, magnum est spiritus Antichristi argumentum. Nihil est tam voluntarium, quàm religio. *Affirmant Hebræi,* oportere sua quemque voluntate non vi, Deum colere. *Ita olim Christiani: Non expetimus, inquiunt,* ut Deum nostrum, qui est omnium creator, velint nolint, colat aliquis invitus; nec, si non coluerit, irascimur. *Talis denique judex, quem nobis Romani obtrudunt, constitui non potest.*

Lact. lib. 5. cap. 20.
Ioseph. in vita sua.
Lact. lib 5. ca. 21.

Nam

Nam si judex ille ante litem motam cum alterutra parte de re controversa idem sentit, necessariò alterutri partiū annumerabitur: aut certè cognitorem, qui litem alterius tractet, non judicem agit. Quod si a partium opinione prorsus dissētit, neutra pars ad eum provocare potest, quem ipsa in errore versari judicat. Legem igitur habemus, judicem non habemus. Sed an non in Ecclesia, in Conciliis, publica singulorum sunt judicia? Si singulorum, dum proprio quisque sensu rem agitat, nonne controversiam, in qua deliberant & consultant, proprium cujusq; dirimit judicium? Si Pontifex (solium hic Sapientiæ insidet) tulerit sententiam, quid magis proprii spiritus judiciiq; erit, atque hoc? Nunquid ipsi Patres, Doctores, & summi Romanorum theologi sese in explicandis scripturæ locis ad proprium judicium non referunt? Quàm multiplicem scripturis sensum proprius cujusq; attulit spiritus! Ante Lombardum trinitatem personarum ex voce Elohim concludebat nemo. Primus erat, qui auderet.

Sixtus Senensis

deret. Quo usus spiritu? proprio. Eandem vocem ætas postera, tãquam primam trini Dei in scripturis architectatricem probat. Thomas Cajetanus cum Bellarmino improbat. Quo spiritu? proprio. Locum illum: *ego hodie genui te*, Hebræi, Chrysostomus, Theodorus Antiochenus, Hilarius Pictavorum pontifex, Theodoretus, Antonius Flaminius, Iansonius, Isidorus Clarius, Adamus Sasbout minorita & alii complures, ad resurrectionem Christi applicant: plerique ætatis nostræ theologi ad æternam ejusdem generationem. Quo spiritu? proprio. Nomen Dei tetragrammaton ante Galatinum legit veterum nemo. Sed nec ipsi Maßoritæ punctorum auctores. Primus legit Galatinus, & ceteros docuit. Quo informatus spiritu? proprio. Licet igitur universam Ecclesiam id sentire, quod proprius privatorum sensus probat? Omnibus deniq; quicunque in arenam nobiscum descendunt, de articulis fidei disceptant, veritatem disputando limant, loca scripturarum explicant, proprius spiritus judicium

umq; servit. Quod si rationes ex proprio cujusq; spiritu depromi possunt, quibus vera Ecclesiæ sententia propugnetur, certum est, proprios cujusq; sensus ad veritatem e scripturarum materiis eliciendam applicari posse. Quid, inquies, si tuæ nemo stet decisioni? Nec ego alterius, nisi erroris planè convictus. Quibus modis igitur controversiæ religionum componẽdæ? Legem rectè, ex sententia legislatoris interpretando. Divina suâ naturâ fidem faciunt. Itaque & partes judicis obtinere dici possunt. Augustinum hîc audio: Hæc controversia Iudicem quærit: Iudicet ergo Christus; judicet cum illo & Apostolus. Adde, si judex universalis constitui posset, secundùm legem præscriptam judicaret. Iudici omnem auctoritatem & veritatem decisarum litium, non persona, sed norma, secundùm quam lites decisæ, afferret. Sed qua ratione pro explorato habemus, utra partium caussam obtinuerit? Exemplum a caussarum patronis sume, quorum alter legem opponit alteri. Si definitam

& apertam, alter victus obmuteſcit. Si ratio legis fuerit obſcurior, evicerit tamen cognitor, ſe propius ad ſententiam legis accedere; alter arenâ cedat oportet, Ea fuit ratio componẽdarum litium temporibus illis, quæ Apoſtolos ſubſequutæ ſunt. Idem nunc agunt Pontificii, qui ſuarum diſputationum fines agnoſcunt; veritatis defenſionem, & errorum evictionem. Idem egit Campianus, rationibus ſuis Academicis oblatis. Sed quæ cauſſa, ut ad hanc controverſiarum decidendarum rationem veritas non dum ſit expedita? Legis Chriſti contemptus & vis præjudicatarum opinionum. Nam qui ſcripturam non admodum neceſſariam eſſe, neque ut legem, ſed fortuitis tantùm occaſionibus ſcriptam, non omnia dogmata ad religionem Chriſti neceſſaria, in ea contineri, nec eam ut judicem controverſiarum habendam eſſe, contendunt, eâdem operâ teſtantur, ſe exceptione fori uti, & cauſſam apud aliud tribunal agi oportere. Deinde atteſtante Iureconſultorum ſententia, videmus tam obſtinatos homi-

hominum eſſe animos in defenſione opinionum, quas penè cum lacte nutricis ſuximus, ut difficilimè patiantur eas ſibi extorqueri. Abſque his eſſet, reviviſceret veritas, & dignos ſtudiis noſtris efferret fructus. Sic igitur humani animi judicium fuerit defenſum. Maximè igitur virtuti ſpiritus ſancti, quo nos regi patimur, principem in certamine locum cedimus. At non enthuſiaſtico, quem ſibi Patres, Concilia & Pontifices arrogant: Sed quem in ſcripturis novi fœderis contineri credimus. Dico in ſcripturis, quæ idcirco nomine Spiritus paſſim appellantur.

Sed oſtendet Campianus noſtram animi duritiem, dum ad ſententiam ſcripti explicatam obſurdeſcimus. Quomodo? Nihil ænigmaticum eſſe, nihil offuſum caligine loquendi in illis: Hoc eſt corpus meum. Præſentem Chriſtum hac verborum ſententia demonſtrari. Quis eſt tam ſtupidus, qui neſciat, ſcripturas troporum plenas? Hieronymus ipſe: Non putemus, *inquit*, in verbis ſcripturarum

rum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. *Disputem⁹ hoc parergon, sed tamquam in transcursu. Antequam verum verborum sensum tango, ostendam, nec propriè verba Christi a Pontificiis sumi, nec ab omnibus transsubstantiationem credi, varia obtrudi absurda, vim ipsis inferri verbis. Vrgent Pontificii proprietatem verborum, sed quam ipsi reverâ negant. Amant partis synechdochen, & pro corpore Christi ipsum Christum filium Dei viventis, suo informati spiritu, ponunt. Porrò verba Christi de transubstantiatione, propriè uti sonāt, ab omnibus nec accipi, nec accipi posse, videamus. Fatetur ipse Bellarminus, esse Patrum quosdam, qui panem & vinum figuras, signa, symbola & antitypa corporis & sanguinis Christi vocarunt; & multa alia id genus pro diversa sententia tradiderunt. Cæteri si prorsus urgent, substantiam panis mutari in substantiam corporis Christi, nunquid Christus*

stus olim ex virgine natus, nunc ex pane fiet? Eadem numero eadem habent ortus sui principia. Vbi verò manent accidentia? Per se, inquies, subsistunt ad mysterij ritum. Sic igitur duce Romanorum Ecclesia, ad nova & inusitata philosophiæ genera descendimus, quibus sublatis illam omnibus armis præsidiisq; nudamus. Negat Aristoteles substantiales formas posse a materia sua separari. Quid daturus est accidentibus, ut separentur a suis subiectis? Egisse hîc Deum contra naturæ ordinem probent. Quem nunquam id effecisse, quod inferat contradictionem, verissimum est. Idem & accidens esse & non accidens (fluit hoc ex eo, accidens non esse in subjecto) nec Epicureos talia fabulantes audivimus. Romanis quidvis licet. Hi soli sunt, qui figmentis suis ad absurda deductis, naturæ, rerum ordini & divinæ philosophiæ vim inferunt. Constabit etiam Christus duobus corporibus; altero incommunicabili; altero, quod nobiscum communicari potest. Imò infinitis, sacrificulis nova sub-

inde *Christi corpora in singulis regnis, provinciis, opidis, vicis, compitis, templis, aris quotidie ex pane effingentibus. Aut certè unum numero corpus erit in locis infinitis. Recurrit novum remi genus. De naturali corpore, quod frangi, & in mortem tradi potuit, loquitur scripti sententia. Hoc finitum est. Ad essentiā Dei infinitam recurres, & naturarum unionem. Nihil horum in Christo. Si eßet, nunquid proprietas finiti corporis ab essentia infinita infinitam sui commensionem caperet? Sed virtutem Dei infinitā permeare omnia, scripturæ testantur; non essentiam. Cuius infinitate concessa, universa orbis machina, quam cernimus, corpus quoddam divinum eßet,*

> *Nilq; Dei sedes, nisi tellus, pontus & & aër,*
> Lucan. 8. bell. civ. *Et cælum & virtus: superos quid quærimus ultra?*
> *Iupiter est quodcunque vides, quodcunque movetur.*

Hæc qui sentiunt, parum absunt ab opinione Democriti, Orphicorum, Alexandri

xandri Milesii, Aristotelis deniq; mundum ipsum Deum esse dicentis. Cic. lib. 1. de nat. *Præterea mortale corpus, quod traditū est in mortem, capi oporteret a mortalibus. Quippe cæleste nec frangi, nec edi, nec tradi potest. At Christus essentiam habet corporis cælestis, quod immortale. Hoc verò à nobis per corporis organum capi non potest. Denique si olim triginta deorum millia in orbe terrarum habita, numerum hunc deorum Romanorum numerus longè excedit, apud quos novi quotidie oriuntur dii, quotidie occidunt. Quâ idolomaniâ nihil unquam magis fabulosum & horrendum in orbem terrarum invehi potuit.* Ajunt, Dei verbum perurgemus, obscurant. *Scilicet eò recurrendum est, ut cum Pontificiis, quod falsum, quod absurdum, quod impium, sentiamus. Vter obscurius religiones interpretatur, qui Dei verbum perurgendo, convenientissimos locorum sensus affert, nec ulla committit absurda: an qui cum scripturæ explicatione naturam rerum invertit, & magnam vim bæoticorum*

rum ænigmatum importat? Censent legum interpretes, inter varias opiniones eligendam esse, quæ minimum habet offensionis, & ad rei conservationem facit. Nobis itidem curandum, ut inter sensus dubios, eum, qui propius ad verum accedit, & gloriæ divinæ favet, amplectamur. Cætera, quæ absurdè canuntur, & novam philosophandi rationem afferunt, prorsus exterminanda sunt. Iam verò miserè falluntur, qui putant à Christo dictum: Panis est corpus meum. Dixit frangendo panem: Hoc est corpus meum. Panem hic esse suum corpus, non dixit. Idem genera vocum materialia apertè ostendunt. An non ipsi Romani tenebras & cæcam caliginem scripturis offundunt, sua figmenta ex eo, quod nusquam est, & regulis primarum artium contrarium, educentes? Illud obducunt, & similem loquendi formam confingunt, Christus est panis vitæ. Panis verò caro est, qui datur pro mundi vita. Sed hic de pane vitæ, qui Christus ipse: alibi de pane propriè dicto, verba accipi

opor-

oportet. Panis utrobiquè non esse eandem rationem, ex eo collige: Christus est panis vitæ, ubi effectum de caussa prædicatur. Quânam verò metamorphosi id quod effectum est, caussa suæ caussæ esse possit? Fingamus dictum: Panem esse corpus Christi. Quis inde tam lubrico ingenio colligat, Panem esse Christum, quem usu hujus cerimoniæ sumi putant, sive id modo fiat corporali, sive spirituali? Subjicies, posse de integro verè & propriè dici, quod unius partis est proprium. Dicitur, sed ratione unius, non etiam alterius. Solas corporis passiones & affectiones ritus ille a Christo institutus a nobis perpetuò servandus, exemplari quodam describit. Si ipsum Christum filium Dei viventis in sua persona sub elementis hujus mundi contineri, corporaliter nobiscum uniri, seu substantiæ nostræ reipsâ permisceri, ipsum, inquam, præsentem in panis materia inesse, intelligendum esset: non corpus, sed ipsum Christum de pane enunciari legeres. Absoluta ratio præsentiæ Christi non potest a parte

conside-

considerari, præsertim ubi archetypa dicuntur de antitypis. Quin & archetypon ipsum seu corpus quam presse accipit? Ita scilicet, ut partem, quæ in toto suo considerari poterat, tanquam aliud rei futuræ exemplar proponit. Quodnam illud? Sanguinem suum. Ait enim: Hoc est sanguis meus. *Exhibet corporis sui, quod in mortem tradi: sanguinis, qui pro multis effundi debet, quandam imaginem. Si propriè & absolutè totum seipsum corporis vocabulo intelligeret, non corpus, ut partem: multò minùs sanguinem, ut corporis partẽ, verbis cœnæ includeret.* Taceo *alibi non corpus sed carnem poni, quæ vitæ panis est: ut nihil audias, in vocabulo corporis potentias virtutesq; animi & divinam Christi substantiam subintelligi, necessum esse. Nihil aliud Dominus his verbis proponit, quam futuras corporis sui afflictiones, amplissimas fidei & salutis nostræ caussas. Quæris unde hic sensus pateat? Expende, quid antecedentis quid consequentis locum obtineat. Qui possum? consule orationis*

tionis filum. Duo peregerat serum illud diei: Pascha & cœnam domini. Vtrunq; statæ & solennes cerimoniæ. In utroq; certus verborum ritus. In illo: Hoc est phase domini *In hoc:* Hoc est corpus meum. *Consequens utriusque patet. Antecedens non item. Prioris est, solennis ille cultus, quo agnus edebatur. Est igitur & posterioris cerimonia illa, quâ panis editur. Ac quemadmodum ibi nomina rei significatæ pro memorabili trãsitu ponuntur: ita & hîc corpus domini pro passione corporis, quam memorabilem Christus esse voluit. Eadẽ utrobiq; est sensuum eliciendorũ ratio. Nullum opus Dei illustrius, nulla pervagata magis multorũ & magnorum in genus hominũ fama beneficiorum, opere illo & beneficio, quod Israeli ex Ægypto educto & per mare traducto: nobis per mortem filij sui ad vitam traducendis præstitit. Æternã itaque requirit utrumque sui commemorationem. De priore dictũ:* Celebrabitis diẽ hũc solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. *De poste-* Fxod. 12. 14.

posteriore vero: Hoc facite ad meî cõmemorationem. *Finis ultimus utriusque idẽ: ut populus harum rerum commemoratione ad fidem Deo præstandam sæpius adduceretur. Ideoq; transitus ille creberrimè auribus & animis Israëlitarum inculcabatur. Sic accurata consideratione mortis Christi, firmum nobis pietatis & immortalitatis subsidium comparamus.*

Ratio III.

De natura Ecclesiæ.

PERGIT *Campianus:* Audito jam Ecclesiæ nomine, hostis expalluit. *Pallore fortassis, quem risu emoriturus ad venales & ridiculos sequentium argutiarum fumos contraxerat. Quod si hostis ante tubam trepidat, Campianus ante victoriam triumphat. Alter metu, alter nimiâ laborat confidentiâ. Vterque extremis. Quid verò est, quod hostibus panicum hunc afferat casum? Visibilis Romanæ Ecclesiæ forma, ejusque non interrupta duratio. Ferant sanè hoc, Romanensium Ecclesiam, ex quo impetum in Christum & Apostolos fecit, nullis temporum intervallis interruptam esse. Nostris temporibus jam extremâ fortunâ confligit, seq; apertè probat, ejus naturæ esse, quæ sensim deficiat, amissis tot regnis & provinciis. Quas an unquam recuperatura sit, suamq; non interruptam naturam probatura, non disputo. Illud asero, suam Romanos Ecclesiam tribus ferè a Christo seculis ex Judæorum & Ethnicorum opinionibus scitè mixtis consarcinatam, & ceu quintam essentiam ex hæreticorum erroribus distillatam confirmasse, confirmatam variis iterum opinionibus & novis subinde paradoxis, atque episcoporum placitis auctam accepisse. Negabo originem ejus ab Ecclesia Apostolorum repetendam. Nam quæ provincia Romanæ Ecclesiæ mancipata, quod oppidum, quæ villa, quæ domus Christi doctrina imbuta fuit? Vbi conspiratio doctrinæ cum Apostolicis Ecclesiis? Novi Ecclesiarum rectores, novos fidei articulos pepererunt. Inferes. Si nostra Ecclesia,*

clesia, non est illa Christi Ecclesia, periit aliquando Ecclesia. Non omnino Regnavit Christus, & suam non interruptam adhuc regit Ecclesiam. Eamne, inquies, quæ effugit oculorum obtutum? Immò, quæ sub sensum oculorum cadit, exulante licet pluribus seculis ab Ecclesia fidei & morum integritate, Non enim ruit Ecclesia Christi, ea ruente. Regnant principes, populo a legibus, via justiciæ & obsequii exorbitante. Regnavit Christus, etsi non staret regnum, quo cœperat & debebat, statu, populis a recta fidei & vitæ norma longè aberrantibus. Agnoscebant enim nomen & imperium Christi, quamvis a legis sententia, quæ præscripta erat, longè diversi abierint. Quod abiêre, etsi partim ab eorum voluntate, partim ab aliis caussis fuit, se tamen voluntati regis sui paruisse, vel improbissimi hæreticorum contendebant. Dum nomen Christi in terris est, cætus & numerus est illud profitentium. Si cætus, cur non & Ecclesia? Nondum igitur Christi Ecclesia, quatenus Christum re-

gem & principem suum agnoscit, defecit. In qua tamen, primùm oves, mox oves hircis mixti, inde hirci tantùm, rursum hirci ovibus mixti, Christum profitentur. Erant prima Ecclesiarum initia ab hæresibus pura. Subnascentia verò tempora, Apostolis ex humanis abeuntibus, non quidem penitus corrupta, sed hæresium & impietatis feracissima: cum quidem alii, quos Romani non sine opinionum dilectu sequuti, pro suo quisq; sensu religiones interpretarentur. Tandem Romani, veritate fidei oppressâ, nihil reliqui fecêre seculis, quæ citra tantam difficultatem, de prima Christi & Apostolorum doctrina inquirerent. Nunc eò crudelitatis progressi, ut cruce, ferro, laqueis, igne & omni tormentorum genere in homines a delubris eorum devios animadvertere non dubitent. Iactant se Ecclesiam præscriptione cœpisse. Quibus verò? Nobis, qui scripturas & primos Ecclesiæ auctores jure appellamus, atque in ipsis Ecclesiæ fundamentis utroq; pede constitimus. Non qui Ecclesiam usucepit,

hæres Ecclesiæ verus est, sed ad quem illa lege Christi & Apostolorum pervenit. *Christus inquit:* Oves meæ vocem meam audiunt. *Auditores Christi veri cives sunt & hæredes Ecclesiæ: cæteri rejectanei potius indigenæ, Ædificavit ille Ecclesiam super Petrum, & cæteros æquè munus Apostolatus obeuntes, quos fidei Christianæ voluit esse præcones. Qui itaquê Ecclesiam super fundamentum Apostolorum extructam colit, is verò civis ejus est. Cæterorum, qui alia Pontificum, Patrum & Cōciliorum fundamina quærunt, nulla est ad hanc hæreditas, in quā lege agere possint, nisi pedem utrunq; in solo Apostolorum fundamine fixerint, & reipsa probaverint, non aliam se basin Ecclesiæ, præter hanc, Apostolorum, agnoscere. Subjicies. Si Ecclesia, quæ tot seculis non interruptè floruit, vera non est, qui tam serò errantem agnoscis? Nunquid majoribus nostris errorem cognoscendi facultas negata? Hoc primis architectis, quos depravatæ religionis nomine in crimen vocamus, adscribimus. Pravæ religionis*

gionis fundamenta, firmiter jacta, serò evertuntur. Serò cætera, quæ super fundamentis extructa. Et quia non visum est eis, Deum in vera noticia retinere, tradidit eos in mentem omnis judicii expertem, ut facerent, quæ minimè conveniebat. Pœna fuit, non conniventia, errore & impietate tot seculis orbem terræ occupante. Quodverò jam recentatur evangelij lumen, non istam nobis adsciscimus virtutem. Deus est, qui post nimbos densissimos lucem & solem exoriri passus est, in quo liberè apricari omnibus veræ pietatis cultoribus liceat. Hæc de Ecclesia generatim atq; universè loquimur, quàm contradistinctè ad Ethnicos cōsideramus. Progrediar ad propriam Christi Ecclesiam, hæresibus oppositam. Naturam ejus dum considero, ea talis non est, quin aliquando deficiat. Non defecit illa, naturâ ejus perpetuitatem minus defendente. Defecit hæc, nulla absoluta necessitate defectionem prohibente.. Caussas Ecclesiam constituentes pensitemus. Ab efficiente quid petis? Non promisit unquam

Deus durationem Ecclesiæ perpetuam: sed tantùm, portas inferorum non superaturas eam. Materia ejus, populus est. Iam si Deus, ne unquam deficeret Ecclesia, ordinasset, non sibi copias elegisset voluntarias, sed quæ coactè & necessariò ei parérent. Quod verò voluntariè & arbitrio facit suo, eadem animi libertate à bono in pravum malum abstrahi potest. Præterea nemo negat, Ecclesiam ex partibus interitui ac fortunæ subjectis, constare: ideoq; duratio eius absolutè necessaria & æterna non est. Cujus statum si a prima repetas origine, ubi Ecclesia, quæ fuit Antiochiæ, Corinthi, Colossis, Ioppæ, Lystræ, Iconij, Philippis, Thessalonicæ, Berææ, Hierapoli? Vbi Ecclesiæ Ephesiorum, Smyrnensium, Pergamenorum, Thyatirensium, Sardinensium, Philadelphensium, Laodicensium? Si eandem ex Romanensium Ecclesiæ statu spectes, idē res attestatur. Nō loquar particulares Ecclesias, sed ipsa regna. Vbi est Anglia? ubi Scotia, Dania, Suecia, Hungaria? Vbi magna pars Galliæ, Germaniæ,

maniæ, Bohemiæ? ubi nostræ Poloniæ? Tam arctè nunc Romanenses regnant, ut videantur, ex illo vastissimo suarum Ecclesiarum campo, in quendam redigi angiportum. Ideoq; damnum alia ratione ut resarciant, abeunt & evolant e finibus Europæis, excurrunt ad extremos Indos & Garamantas ultra Oceanum, ut genus hominum rude, agreste, barbarum, & rerum omnium, quas Romanus in Ecclesia Christi committit, imperitum, in suas partes trahant. Quippe enim nostram ad se reversionem planè desperarunt, quibus vana Romanæ Ecclesiæ jactatio, pravæ opiniones, sophismata, paradoxa, fabulæ, probè innotuerunt, & quotidie magis magisq; innotescunt. Ad defectionem illam quid dicturi? Illud scilicet: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, id est, secundum electionem divinam. Cujus cujus generis illa sit electio, divina vel ideo non est, quòd desertores Romanæ Ecclesiæ non erant divinitùs electi, ut cognita veritatis luce, amplius laterent crassis occultati & circum

fusi doctrinarum tenebris. Sed neque reliquias Romanorum ad eam rem divinitùs electam esse, ut eorum Ecclesiæ tam obstinati adhæreant, probant tyrannica illa instrumenta, quibus ad retinendos Ecclesiæ suæ cives utuntur. Tolle inquisitionem hæreticæ pravitatis. Tolle honorum, quos optimates publicè gerunt, ademptiones: totam Europam a tuis Pontificibus descivisse videas. Id ne fortè eveniat, Romani cavete, & consilia pro tempore non incauta capite. Sed cavetis diligentissimè, hæresin inquirendo, eamq; dum licet, ferro, igni, aquâ tollendo. Cavetis, inquam, viros prudentia & rerum usu clarissimos, legum & patriæ libertatis studiosissimos, publicis honoribus privando. Transeo ad formam Ecclesiæ, quæ Veritas & Pietas. Vtrunque semper libere & pressè cultum. Quod enim sponte atque ex animo non fit, execratio est.

Lact. li. 3.621.

Si liberrimus utriusque cultus, isque humanæ naturæ adeò gravis & adversus, ut plurimi ab eo creberrimè ad vanitatis & impietatis cultum deficiant, non dubium

bium est, quin & natura Ecclesiæ talis sit, quæ deficere possit. Deficit totum, formâ totius a partibus deficiente. Aculeatum hoc est, nec tam facilè hebetatur. Inferent, consuesse Deum pro putridis Ecclesiæ membris nova subinde & saniora in Ecclesiam suam inserere, ne status Ecclesiæ interrumpatur. Hoc argumentis & exemplis communiendum. Non pugno, aliquando Deum id efficere, sed hominibus uspiam ad veritatis & pietatis cultum animo compositis. Si tales non dederis, coget ille ad obsequium invitos, ut velint nolint Deo pareant? Cæterùm videmus, primis Apostolorum Ecclesiis, earumq; reliquiis penitus sublatis, non alias successisse, quæ doctrinæ & fidei integritate primis responderent. Novam religionem, novum Christianismum introduxit Pontifex, non pietate, non doctrina, non patientia, non lenitate, non modestia Ecclesiam Christi referentem: sed potiùs, opinionibus pravis, impietate, fastu, luxu, crudelitate & idololatria Gentilismo respondentem. Salus & cælestis

lestis illa gloria, Ecclesiæ finis est. Sed hæc negatur nemini, quoquo tempore Christum profitenti. Duret continuè, dissolvatur, recolligatur Ecclesia, merces pios manet certissima. Miraris eam Ecclesiæ dari naturam, quæ deficiat? Crucem & persequutiones ejus ob oculos pone. Quid magis Ecclesiæ videtur contrarium, quàm, cum Deo sit proxima, civitas sancta, regnum & corpus Christi: ut ab hostibus contra fas omne tam fœdè, tam impiè vi atque tormentis laceretur, flammis uratur, immanissimis bestiis objiciatur? Non tollit Ecclesiam sanguis & patientia, modò fides adsit. Nec interruptus credentium numerus. Quæ nunc est, vulgò dicitur militans Ecclesia. Copiæ verò imperatorum nunc victrices, nunc victæ: jam extenuatæ, mox numerosæ: iterum vel viribus hostium oppressæ, vel suo vitio dissipatæ. Ita in militante Ecclesia, populus Christi in varios, quos habet, pugnans hostes, nunc victorem agit, nunc vincitur: jam potentiâ tyrannorum premetur, mox in numerum excrescit: iterum

rum vel potentiâ tyrannorum, vel speciosâ docentium formâ, vel violenta pravarum opinionū auctoritate opprimitur; vel deniq; ipsa sui interitus architechtatrix, sibi suisq; opinionum fumis nimium placens, officij terminos, obsequium erga imperatorem exuit. Nempe regit suam Christus Ecclesiam, & colligit, non ut quondam esset, aut jam non interrupta sit, sed ut in terris quoquo tempore collectam, in cœlis recolligat credētium multitudinem. Floruit, defloruit: reflorescit nunc, & magno credentium numero in terris vigebit Ecclesia. Vt probet perpetuam eius durationem, illam esse Campianus dicit, in quam universam nullæ sint unquam fauces Diaboli morsum lethiferum injacturæ.

Spectatum admissi risum teneatis? Loquitur Christus de portis inferorum: hic de faucibus Diaboli. Ille de vi minus Ecclesiam prævalitura: hic de morsu lethifero. Idemne portæ, quod fauces? Idem inferi, quod Diabolus? Idem robur portarum, quod morsus lethifer? Taceo

non

non cuivis Ecclesiæ, sed Christi duntaxat super Petrū fundatæ illud promitti. Quid Romanis promissum, fundamento Conciliorum, patrum & suorum Pontificum nixis? Ait Christus: Portæ inferorum non prævalebunt eam. Portas inferorum, non potentiam Sathanæ & impiorum omnium esse, ipse loquendi modus arguit. Quid sint, docet Ezechias in illis Vadam ad portas inferi, sepulchrum & statum mortuorum, quem inferorum notat appellatio, intelligens. Vires inferorum exercentur, piis & sanctis vivis, ubi vitâ excesserint, infera terræ loca subeuntibus. Frangentur eædem, resurgentibus illis, & de inferno triumphaturis. Valebunt enim inferorum portæ, sed non prævalebunt. Sententiæ nostræ, nisi fallit memoria, suffragatur Eusebius, ad quem adversarios remittimus. li. de prop. evang.

Reliquum est, ut rationem invisibilis Ecclesiae exponamus. Ridet hanc Ecclesiæ speciem adversarius tanquam ideam Platonicam a sensibus dimotam. Non adeò miror. Illam enim duntaxat Ecclesiæ speciem

speciem jactat, quæ solo nomine Ecclesia Christi est. Quænam igitur potissima ratio Ecclesiæ sub nullum oculorum sensum cadentis? Fides. Fidem intelligo obedientiam illam sub spe boni promissi Deo præstandam. Ita Irenæus. Credere Deo, est facere ejus voluntatem. l. 4. c. 14 Agimus hic igitur de maximè propria Christi Ecclesia, Christo ut regi & Deo suo confidente & parente. Eam non gentibus & Iudæis: non hæreticis: sed Christo, cujus doctrinam professi sunt, tam simulatè parentibus, quàm prorsus immorigeris, opponimus. Si quis credētium numerus est, cujus debita præceptorum Christi obedientia soli Deo nota, negabis Ecclesiam invisibilem? Actiones quidem hominum externæ, non incerti vitiorum sunt indices. At non pietatis & virtutum. Simulatur quandoq; virtus, & specie sua decipit alios. Dictum ab Apostolo: Qui Spiritum Christi non habet, is non est ejus. Rom. 8. 9. Hic spiritus ubi est, ibi & Ecclesia Christi. Vnde Irenæus: Vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia. Cui verò notum, ubi

ubi spiritus ille Dei, nisi scrutatori renum & cordium, immo cognitori? Aut certè Romani tam perspicaces & divini animorum exploratores sunt, ut suo falli non queant judicio. Antequam ex operibus, quæ sunt spiritus, de hominis corde judicas, ipsa cordis integritas cognoscenda. Sitne verum, simplex, sincerum: an simulatum, fucatum, ex quo tanquam fonte pietas emanat; quis novit, nisi sapientissimus ille cordiũ explorator? Sermocinemur & nos animi gratiâ. Dic mihi, Romane, ille tuarum religionum antistes subscribit Ecclesiæ? maximè. Cui? quæ doctrinæ sanctitatem, antiquitatem, nomen catholicum, successionem Episcoporum, gloriam miraculorum, & alia Ecclesiæ habet argumenta. Audio. Subscribit Ecclesiæ Christi maximè propriæ? omnino. Videamus cetera. Obedit Christo? etiam. Qui credam? quia Ecclesiæ subscribit Catholicæ. Nugæ. Fidem quæro vivam & efficacem, pietatem, & obedientiam legis Christi. Iudicent, ais, actiones externæ. Sint piæ, sanctæ: suntné

puri an fucati cordis? Spectant, opinor, Romanenses Christianarum virtutum integritatem ex actionibus sensui humano subjectis. Ideoque solam visibilem Ecclesiam constituunt. Fundamentum actionum, quale quale illud sit, sincerum an fucatum, refert nihil. Singuli ex moribus, qui Ecclesiæ communes, censentur propria Romanæ Ecclesiæ membra. Et pietatis, & divinæ scientiæ ratio inter singulos ea est, quæ totius Ecclesiæ. Hinc illa circularis Romanorum fides: Quæso te, quid profiteris? fidem Ecclesiæ. Quid Ecclesia? meam fidem.

Ratio IIII.
Concilia.

VT *incautos adversarios sub auctoritatem Pontificis propellant, sua tantopere commendant Concilia. In alios tragulam hanc injicere adornent, qui capita religionis partim ad scripturas, partim ad auctoritatem Ecclesiæ exigunt. Nobis certum est, posito scripturarum principio, nihil ab Episcopis Romanis, nihil a Con-*

ciliis petere, quod sive ad inquirendam sive ad confirmandam fidei veritatem facere videatur. Non œcumenica, non alia, quæ nationum sunt, sequimur concilia.
1. Rationum prima est, auctoritas scripturarum, quam Conciliis anteponi oportet. Quod si fides Conciliis adhibenda, eò quòd cum scripturis conveniunt, rectiùs veritatem & cōtroversiarum decisionem ex ipsis fontibus petimus.
2. Altera, quòd in conciliis major semper fuerit traditionum quam scripturarum habita ratio, ex quibus sententiam ferri oportebat. Pronunciârunt Iesuitæ, nullam hæresim ex solis scripturis sufficienter damnatam esse, cujus gratiâ potissimùm congregantur Concilia. Ita Arius, ex doctrina non scripta sed tradita per manus patrum sibi in ecclesia succedentium damnatus.
3. Tertia vehemens Conciliorum pugna. Exempli gratiâ. Probat cælibatum sacrificulorum Concilium Neocæsariense, Romanum, Arelatense secundum, Telense, Matisconense primum, Vormaciense. Conjugium eorundem non improbat Concilium Apo-

Apostolorum, Gangrense, Ancyranum, Carthaginense tertium, Aphricanum, Turonicum secundum, Toletanum. Probat imagines Nicena synodus. Damnat Concilium Elibertinum, Constantinopolitanum septimum, eorumq; inventionem diabolicæ insidiationis esse pronunciat. Expungit Laodicense e libris canonicis Thobiam, Iudith & Machabæorum libros. Recipit eosdem in numerum canonicorum Carthaginense tertium. Itáne concors Conciliorum spiritus? Quarta. 4.
Etiam ab ipsis adversariis non citra delectum canones Conciliorum observari, vel potius apud Pontificios Conciliorum auctoritatem non esse tantam, ut decretis canonum eorum standum sit penitus. Statuit concilium Bracarense primum, ne corpora defunctorum intra Ecclesiam sepeliantur, sed foris extra ambitum murorum. Negat Elibertinum lucernas publicè accendi oportere. Quod idem Lactantius sensit, stultissimos esse, qui candelis & cereos in eccclesia accendant. Laodicense non oportere ait Christianos ad

ad nuptias euntes saltare, sed castè cœnare, vel prandere, uti Christianos decet. Sacrum illud generale Constantiense, negat Papam concilio superiorem. Arcētur episcopi & sacerdotes a curis secularibus concilio Apostolorum, Carthaginensi primo, Toletano quarto. Iubetur Carthaginensi quarto, ut episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat. Edixit Antiochenum, ne episcopus ex provincia ad aliam transeat; neq; si seipsum ingesserit, neq; si à populis fuerit violenter attractus, neq; si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur. Plura sunt in hoc genere, quæ transeo. Quid nostra Conciliorum mancipia? Quædam probant concilia, quædam improbant. Alios sequuntur canones, alios rejiciunt. Mortuorum cadavera intra templum sepeliri, lumina interdiu accendi, choreas duci, Papam absolutè supra concilia esse, sacerdotes ad secularem rerum publicarum curam admitti, episcopos magnâ rerum & opum copiâ diffluere, de diœcesi ad diœcesim alteram transire, quotidiana probant exempla. Imperent ante sibi ipsis, quàm adversarios ad leges conciliorum provocant. Quin & Iesuitæ & novæ aliæ Pontificiorum sectæ, palàm suas conciliorum leges violant, novo religionis instituto ordine. Cautum est concilio Lateranensi sub Innocentio tertio celebrato, ne quis novam religionis regulam & institutionem inveniat; Sed quicunq; voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Vltimam rationem duco a Conciliorum exitu. 5. *Nazianzenus ad Procopium testatur apertè, nullius Concilii finem felicem esse. Verba ipsa appono:* Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius concilii finem lætum faustumq; vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quàm accessionem & incrementum habuerit. *Hæc quidem adversarii de illegitimis conciliis Nazianzenum loqui existimant, cum tamen de omnibus*

Episcoporum conciliis, interposita veniæ præmunitione, verba accipi oporteat. In*vitatus ad concilium* Nazianzenus,*veniendi necessitatem deprecatur. Absentiam suam excusat duplici ratione, suo de conciliis judicio, & infirma corporis valetudine. Quanta majestas* Nicœni *Concilii? At quas tragœdias effecit? Testis Hilarius,* Nicœna *synodo peractâ, penes nullos sanctum aliquid & inviolabile perseverasse. Ad constantiam & unitatem fidei vocant concilia. At Nicœnum annuas atq; menstruas de Deo fides peperit, Idem de se suisq; Hilarius:* Mordentes invicem jam absumpti sumus.*Taceo tragœdias ab Arianis excitatas. Panormitanus verò, etsi Romani Pontificis mancipium, disertè scribit:* Plus credendum est, vel simplici laico scripturam proferenti, quàm toti simul concilio. *Multum detrahetur Panormitano hujus judicii caussâ, ne tantus deferatur honos, quantus aliis, auctoritatem Pontificis & conciliorum quoquo judicii candore & dexteritate probantibus. His caussis*

sis adducti, concilia tantopere suspicere ac venerari nec possumus, nec debemus. Ait Campianus, tempus immittendi numinis maximè idoneum esse, quum omnium Ecclesiarum religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, unam in urbem confluxerint. Dari cœlestem illam spiritus sancti virtutem petentibus, & gloriam divinam, facto piorum concilio, propagaturis, verum est. Sed necesse non est, ut Spiritus ille Dei, ad omnem frequentiam & celebritatem omnis generis hominum necessariò adsit, præsertim contraria iis, quæ unquam a Spiritu sancto profecta sunt, aut nova emergentia statuere cupientium. Quicquid ille cœlestis doctrinæ ad salutem consequendam hominibus daturus erat, id omne per Christum, rerum divinarum coronidem & per Apostolos, tanquam prima religionis nostræ fundamenta, dedit. Age verò, si quidem Dei Spiritus conciliis illuxit Romanis, quid caussæ, ut sibi non constent concilia? ut tantoperè in conciliis pulcherrima divinæ virtutis discrepat harmonia? Si, quic-

quicquid in conciliis gestum, prolatum, confirmatum, conclusum, a Spiritu sancto profectum est, quid caussæ, ut non omnibus conciliis eorumq; articulis fides a Romanis adhibeatur? Cur alii canones suam in Ecclesia Romana autoritatem retinent, alii amittunt? Non omnibus conciliorum articulis credere, nec juxta omnium articulorum præcepta Ecclesiam regere: credere vero, Spiritum illum Dei illuxisse Ecclesiæ, decidendarum controversiarum & regendarũ Ecclesiarum caussâ, quî conveniunt? Quid? an alia tempora aliam Christi doctrinam, aliam Ecclesiæ formam, alii dona Spiritus sancti requirunt? Apage istam Ecclesiam, tanta doctrinarum & regularum vertigine laborantem, nec primis Apostolicis Ecclesiis fide & forma sua respondentem. Nobis Iesus Christus heri & hodie idem est. Variis doctrinis, peregrinis, & inter se pugnantibus, quid circumferamur?

Ratio V.

Patres.

De *Patribus aliquid dicturi, a filiis, quo-*

rum patres sunt, ordiamur. Quinam illi? Vniversus Romanæ Ecclesiæ chorus. Quicquid opinionum, errorum & superstitionum in Romanensibus est, illud suam a Patribus & primis Pontificiæ religionis doctoribus traxit originem. Ideoq; nihil æquè adversariis primum, atq; omnes fidei suæ articulos ad Patrum sententias exigere. Fatemur ingenuè, non ubiq; eos per errorem labi, & sæpe in scripturæ explicationibus feliciter versari. Sed quorum scripta ad obrusam semper exigenda sunt, nec tam auctoritates eorum in sententiarum dijudicatione spectandæ, quàm veritatis momenta. Magni fuêre, homines tamen. Liceat verò priscos Ecclesiæ Romanæ doctores in duas classes conferre: quandoquidem Nicœno illo concilio, quasi septo quodam herciscuntur. In priori antiquiores sunt, primam synodum œcumenicam antegressi. In hanc repono Ignatium, Iustinum, Irenæum, Clementem, Origenem, Tertullianum, Cyprianum. Addam ex Campiano Dionysium & Hippolytum. Horum auctoritatem

duæ potissimùm rationes infringunt: errores varii & multiplices, trutinâ divinæ lucis examinati: & sententiæ ab alterius classis doctoribus alienissimæ. Errorum argumenta ex eorundem firmamentis sequenti capite breviter ostendamus. Dissentire verò antiquissimos Christianorum doctores a posterioribus, aliisq; theologis nostræ tempestatis, planum est, nec ipsi Romanenses negant. Originem apertæ in filium Dei blasphemiæ accusant. Tertullianum hæreseos, quam Montanus professus, reum agunt. Et huic quidem Christus quædam Dei portio est. Credit Deum corporeum esse. Secundas nuptias tanquam stupra damnat. Sensit animas hominum pessimas post mortem in dæmonas verti. Cyprianum Bellarminus de Anabaptismate hæreticorum errasse scribit. Etiam Augustinus quandam Cypriani Epistolam refellit. Aliorum nævos, & si quid fortè de Deo aliisq; fidei articulis rectè nec ad sensum Pontificiorum pronunciant, callidâ artis peritiâ excusant. Monet sanè Beatus Rhenanus, Tertullianum

num, Origenem, Novatum, Arnobium, Apollonium & alios ecclesiasticos scriptores, græcos pariter & latinos ita legendos, ut bona eligamus, vitemusq; contraria. Idem monent alii, Monent ante omnes ipsi Patres. Vnde Ambrosius: Si Christus non docuit, quod docemus, etiam nos id detestabile judicamus. *Quis jam ita rationem instituat: Dixit Cyprianus, Augustinus: verùm igitur? Rectiùs sonat & planè convenientissime: Dixit Cyprianus, Augustinus, idq; divinæ veritati consonum. Verum igitur. Nihil autem à vero absonum ab illis traditum? Sæpius se errasse, fatenter ipsi. Augustinus:* Negare nec possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in opusculis meis, quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari. *Alibi verò:* Nolo meis literis, quasi canonicis scriptis inservire: sed in his, & quod non credebas, cum invenies, incunctanter crede: in illis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris,

ris, noli firmè credere. *At contra Petilianum affirmat, nec Catholicis Episcopis consentiendum esse, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant. Quod igitur de antiquioribus Ecclesiæ doctoribus dicimus, idem de posterioribus dictum volumus, in quorum classe proximos Romanæ Ecclesiæ architectos reponemus, Augustinum, Athanasium, Ambrosium, Gregorium Magnum, ac deniq; ne infinitum sit, omnem, qui hos sequuntur, doctorum numerum, quos œcumenicum illud Nicenum concilium antegressum. Nam horum auctoritatem in omnibus fidei controversiis, ut sequamur, nullo tenemur jure. In hostes sententiis doctorum quandoq; pugnare licebit. Nam fortiter expugnantur hostes, quoties adversus eos ipsorum armis utimur. Cur verò tantopere commendantur? An quod religionis mysteria pleniùs exponunt? An quia doctrinam Christi per Apostolos parciùs traditam, largiore Spiritus sancti virtute auxerunt? Plene, plenè omnia religionis mysteria per Apostolos*

stolos exposita. Si quid ad doctrinam Christi & Apostolorum addi oportebat, nunquid asseres, virtutem Spiritus sancti largiùs in patres, quàm in Apostolos effusam? Falsum hoc. Aliquam additionem in fidei capitibus ut pateretur, doctrina Apostolorum requirebat minime. Nec patrum Spiritus cum divinissimo Apostolorum spiritu conferendus: tantùm abest, ut sua virtute cæleste illud beneficium longè superet. An verò tali donorum genere ornati, ut, quod obscurum, contractum, asperum, incoatum & imperfectum erat in scriptis Apostolorum, ipsi dilucidum, copiosum, politum, & perfectum redderrent? Falsò credis, Deum post Apostolos id genus doctorum constituisse, quorum auctoritas rata, firma & infallibilis esset. Nihil tale quippiam posterioribus seculis a divino spiritu promissum. Incoatam verò & imperfectam saluis viam Apostolos annunciasse, nemo sanæ mentis dixerit. D. Apostolus mentionem facit Doctorum in Ecclesia, sed quorum auctoritas præter rationum momenta, quibus veri-

veritatem doctrinæ suæ probarent, testimonio Apostolorum roboratur. Quædam eorum dogmata citra omnem controversiam a Christianis recipi oportebat. Cæteri Ecclesiastici doctores quo testimonio ornati? Nisi dogmata sua testimonio scripturæ per Apostolos traditæ confirmârint, quî credam docentibus? Hoc se quidem fecisse videntur, etsi antiquitatem vel auctoritatem majorum sæpius obtrudant. Tertullianus: Nobis non licet ex nostro arbitrio indulgere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit: Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquā de suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignârunt. *Ireneus.* Scripturis divinis inhærere, quæ certa & indubitata veritas est, in firma & valida petra est domum suam ædificare. Hac verô derelictâ, aliis niti quibuscunq; doctrinis, in certam effusæ arenæ, unde facilis sit eversio, est ru-

inam struere. *Talia etsi semper confessi sunt, alia tamen Christianæ fidei erant fixamenta, quibus innixi, progenitores Ecclesiæ Romanæ extiterunt. Illa quæ fuerint, paucis videamus.*

Ratio VI.

Firmamenta Patrum.

SI *Patrum opera variis gentibus linguisq; codex scripturarum transcriptus & importat⁹: si eorum periculis de flammis hostilibus ereptus: si vigilias & labores in enucleationem scripturārum studiosissime contulêre: si cibos & inediam sacris literis condiêre; nunquid eam ob rem omni erroris humani culpâ erant vacui? Atqui toties probatur & evincitur, vehementer privato & communi errore lapsos. Origenes admirabilis ille Athanasio & operosissimus magister, quoties ab ipsis Romanis errorum accusatur?* Scio *ait Hieronymus*, me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam aberrare *Quod si docto-*

res illi scripturas diligentissimè scrutabantur, nonne frequentes etiam, vel Campiano teste, ab auctoritate aliorum Patrum, ab Ecclesiæ auctoritate, a successione Pontificum a conciliis œcumenicis, a traditionibus Eccesiasticis, a visis eventisq; argumentati sunt? Quid verò magis veritatem obscurat, quàm ratio foris assumta? Nunquid *veritas Christi aliunde peti potest, quàm a Christo?* Doctrinam *Apostoli unde hauries, nisi ab Apostolo? Si sacrarum litterarum testimonia conglobant, nec quicquam, quod in Apostolorum sententiam pugnet, scriptis intertexunt, quò pones traditiones, quarum auctoritate instituta Christi & Apostolorum pleraq; tollantur? De singulis exceptionis, partibus placet aliquid subijcere, remq; totam planiùs enarrare. Age, quæ præter scripturas sunt, ista Patrum fundamenta videamus: Somnia, Phantasmata, Majorum auctoritates, Traditiones, Opiniones philosophicas, Phantasian, & Peregrinum religionum cultum. Priora duo à Campiano concessa, cujus ponderis sunt?*

sunt?

sunt? Quid petes a somnio, & fallaci visione? Vidit Ignatius visionem angelorum sanctam triadem hymnis alternatim decantatis collaudantium. Quàm validè trinitatis mysterium hoc subventaneo firmatur somnio! Quàm puerile fuit, formam canendi per spiritum phantasticum expressam, Ecclesiis tradere? Sua Romanis somnia. Benignum sanè Morpheũ tanta rerum mysteria per somnum Romanis explicantem. Non *invidemus species spirituum, dæmones erraticos, lemures, umbras, larvas nocturnas multarum opinionum & rituum habent auctores. Legimus hæc passim in Romanorum scriptis, & tam absurda, tamq; infirma religionis firmamenta miramur magnopere. Magnum verò pondus ad opiniones Patrum confirmandas, auctoritatem majorum fuisse, liquet ex eo, quòd frequentissimè eorum scripta in controversiis appellarint, rarissimè e solis scripturis fidei documenta roborarint. Etiam creberrimè voces illæ occurrunt:* Sicut ab antecessoribus nostris accepimus. *Et alibi:* Sanctos

 itaq;

itaq; Patres sequentes. *In Chalcedonensi Synodo præmissum:* Regulas sanctis Patribus in unaquaq; synodo usq; nunc prolatas teneri statuimus. *In Constantinopolitana:* Fidem Patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæam Bithyniæ convenerant, manere oportet ratam. *In Toletano Concilio:* Secundùm divinas scripturas & doctrinam, quam a sanctis patribus accepimus patrem filium, & spiritum sanctum unius deitatis atq; substantiæ confitemur. *Inter Arrianos & Homousianos certatum diu, utra pars rectius de filio Dei sentiret. Promebantur sacrarum literarum testimonia. Vicit Patrum auctoritas, qui a partibus Homousianis erant. Callidum fuit Sisinnii consilium, quod Nectario homousianæ fidei antistiti suggesserant, ut in controversiis quæ tum ultro citroq; agitabantur, testes admoverentur Patrum expositiones & ab hæresiarchis quæreretur, quonam loco Patres habendi, qui tempora controversiarum ante-*

gressi essent. Sintné ad Ecclesiam admittendi, an verò tanquam a Christianismo alieni repellendi. Arrianis prius concedentibus, Imperator ad homousianorum partes concedit, eorum fidem laudat, amplectitur. Quæro in transcursu, ubi tum auctoritas Romani Pontificis, Imperatoribus controversias fidei componentibus? Cæterum manifestum est, patres, quos in posteriori classe antè posuimus, Synodum Nicenam tanti fecisse, ut quicquid de Deo opinionis in eorum scriptis inest, illud maximè e forma fidei Nicenæ videantur hausisse. Quanti verò concilii hujus auctoritas habenda sit, e numero antistitum duntaxat colliges. Cætera, e quibus primariò auctoritas æstimanda sit, in quæstione versantur. Licet enim colligere, omnes illos Nicenæ fidei architectos, agrestes & solidæ eruditionis expertes fuisse. Nam quæ veritatem attingunt (verba sunt Imperatoris) quæ Deo grata acceptaq; sunt, omnino neglexere. Rudiores Arianis fuisse, passim e scriptoribus Ecclesiasticis constat, Arianos contra ar-

gutulos & artis philosophicæ peritiores. Nec desunt, qui viros in concilio Niceno congregatos appellant rudes, simplices, idiotas, & omnis eruditionis expertes. Meminit unius præter cæteros Socrates, quem Sabinum Macedonianum Heracliæ Thraciæ episcopum nominat. De traditionibus pauca. Partiuntur has in divinas, quæ fuerunt a Christo acceptæ Apostolos docente. In Apostolicas, quæ ab Apostolis institutæ. In Ecclesiasticas, quæ sunt constitutiones quædam antiquæ ab Episcopis & Romanæ ecclesiæ antistitibus inchoatæ, & quæ paulatim tacito consensu fidelium vim legis obtinuerunt. Sed profecto tot sunt traditionum species, ut nescias, ad quod genus earum revocari debeant. Præterea adeo scripturis contrariæ, ut meritò dubites eas a divino spiritu profectas. Posse aliquem Ecclesiæ ritum admitti, non negamus, sed qui ordini ecclesiastico duntaxat serviat. De fide traditiones nec dari posse, nec debere, ex eo manifestum est, quod Christus per se & per Apostolos plenam rerum cognitionem

nem attulerit, quodq́ in lege Christi scripta ratio salutis consequendæ sonat plenissimè. Nota, nota Antichristi est, traditionum pondus, quo veritas Christi regis nostri deprimitur. Appellarunt verò Patres traditiones ecclesiasticas, quoties in opinionibus defendendis, quas a suis item majoribus hauserant, testimonio sacrarum literarum erant destituti. Semper tamen & ipsi rationnm suarum momenta sacris scripturæ locis defendi ajebant, præsertim pro articulis Christianæ fidei adhibita. Pungit acriter Theophylactus hæreticos, qui alia sententiæ tuendæ quærebant firmamenta. Fur, *inquit*, est, qui non per scripturas ingreditur in stabulum ovium & ita per illas deprehenditur: sed ascendit aliunde, hoc est, aliam sibi viam & insolitam parat, sicut & corrupti sunt. Talis erit Antichristus. Non enim ex scripturis illius testimonia. *Respondent hìc theologi Romanenses, damnari a Theophylacto eos, qui ex proprio capite nova quædam dogmata, a scripturis aliena in*

Ecclesiam invehunt. Atqui tales sunt ipsi theologi Romani, quorum totus assensus præcipuè in eo residet, quod vel ipsi vel eorum majores per visa, per somnia, per quasdam animi speculationes, per alia firmamenta, in Ecclesiam Christi, magno totius orbis damno invexerunt. Socratem de patribus audio dicentem : Non novam quandam religionem a se excogitatam in ecclesiam induxerunt. *Non novam ?da igitur ejus ortum.* Sed quæ inde ab initio & Ecclesiastica traditio habuit, & Christianorum sapientes evidenter philosophati sunt. *Mox, quid Irenæus, Clemens, Apollinarius, Serapion quid alii de Christo senserint, recenset. Venio ad opiniones philosophicas, quas inter alia depravatæ fidei instrumenta non immeritò pono. Videmus tam hæreticos quàm Romanos patres, a quibus illi dissentiunt, fuisse Platonicos, quorum curiositate & infelici studio summus ille de Deo articulus mire depravatus & contortus, hactenus Christi Ecclesiam turbat. Inter hæreticos numero*

ro Valentinum & Arrium. Quorum ille ab ethnicis philosophis sua dogmata sumsit. Intulit enim, teste Ireneno, subtilitatem circa quæstiones Aristotelicam in Ecclesiam. Platonicum fuisse, præter alia scriptorum testimonia, voces illæ testantur, quas usurpat, bonnm, idea boni, usia, pulchrum, justum, veritas, nus, imago, logos. Habuit suas quaterniones, octonationes, decades & alia portenta, quæ Pythagoricorum respiciunt numeros. Similiter & Scythianus quidam Saracenus Empedoclis & Pythagoræ opinionem in Christianam religionem introducere conabatur. Arium & Alexandrinum & Platonicum fuisse, nemo negat. Porrò Alexandrina schola erat sequentium hæresum veluti quædam officina. Ex hac prodierunt scriptores, qui doctrinam evangelii ad Platonicorum dogmata conformare sunt conati. Atq; ut Epiphanius loquitur, unusquisq; ab altero malam occasionem colligentes, aliusq; ab alio ampliorem adhuc doctrinæ gratiam cupiens, sibijpsi pravæ inventionis differentiam effigia- NB.

figiarunt. Tum primum post varias variorum hæreticorum sententias fundamenta de trino Deo atq; præaeterno Dei filio jacta sunt, quæ Sabellios, Martiones, Arios, Macedonios & Nestorios procrearunt: horum vero curiosa philosophandi ratio, Romanam enixa est sententia. Etenim quicquid Nicolaus, Cerinthus, Valentinus, Syrenus, Sabellius, Basilides, quicquid deniq; Arrius professus est, illud ad producendum Antichristum spectabat, ut non immeritò Antichristi auctores & progenitores dicendi sint. Hinc est, quod Zanchius eorum sententiæ adstipulatur, qui Arrium vocant præcursorem Antichristi. Sed & Prateolus in elencho suarum hæresum, fatetur in Simone, Cerintho & horum similibus spiritum fuisse Antichristi. Qui verò ex schola Alexandrina prodiêre, Origenem & Clementem Alexandrinum nomino, quorum auctoritates sæpius ætas postera, appellaverat, cum maximè illæ controversiæ de filio Dei excitatæ, decidendæ essent. Erant verò Origenis præceptores, Ammonius, Plotinus,

& quem affero, Clemens Alexandrinus, ethnici & Christianæ philosophi. Fertur autem Origenes attigisse & omnino assecutus fuisse secreta Platonis & Pythagoræ, Zenonis stoici & Cerinthi volumina, cæterorumq; philosophorum, ut Haymo tradit, qui errasse idcirco scribit Origenem, & contra orthodoxam fidem aliquid descripsisse, quòd nimio lectionis studio philosophos erat amplexus. Dicitur & Numenium evoluisse. Iam verò Numenius, qui inter Pythagoricos celebris fuit trium deorum cultum, nempe Patris, opificis, & illius, qui ab ambobus procedit, confinxisse traditur. Rursum Plotinus ex Numenio docuit, Deum primum, secundum & tertium unum esse. Quidam ferunt hunc ipsum Plotinum in schola Alexandrina de logo suæ philosophiæ miscuisse. Dedit autem occasionem tractandi hanc de logo materiam sacra scriptura, quæ in eadem schola prælegebatur. Ajunt Dionysium quendam Plotini coætaneum atq; Origenis discipulum, quiq; acerrimus hæreticorum confutator fuerit,

Alexandrinæ scholæ præfectum fuisse, eadem scilicet tempestate, quâ Plotinum Origenes cum Amelio audivit. Sed & ipsum Origenem Alexandriæ docuisse scribunt. Ipsam verò de Trinitate doctrinam, Pythagoricam & Platonicam esse, ex iis, quæ breviter afferimus, constare potest, nec ipsi adversarii omnino negant. Clariora Nyphi & Procli philosophorum proferam testimonia. Ille apud Mutium Pausam in hunc modum loquitur: Est enim hoc a natura, quæ Deus est, habitum, qui ipse est trinus & unus, ut Pythagorici ajunt. *Apud hunc vocabulum Trinitatis remq; ipsam more Platonicorum tractatam legimus. Ait enim:* Hæc Trinitas, unitas, intellectus, amborum habitudo, qua nempe unitas est intellectus Vnitas, & Intellectus unitatis Intellectus. Ex quibus ostendit Plato, Patrem esse Intellectus Patrem; Intellectum patris filium, interq; supremo mediam latere potestatem seu virtutem. *Talia multa afferri possent, in quibus*

bus magna Trinitatis signa. Sed fallibilia. Nam alibi ostendimus, sententiam veterum philosohorum, Mercurii Trismegisti, Zoroastri, Platonis aliorumq; ad dogmata Romanæ Ecclesiæ, quæ de Deo sonant, imperitè, iniquè, impiè traduci. Recentiores philosophos non excuso, Plotinum, Proclum, Porphyrium, quorum auctoritate usi patres ecclesiastici, inter quos Cyrillus contra Iulianum disputans, probare conati sunt, mysterium Trinitatis gentibus & philosophis non fuisse ignotum. Illi enim sunt, qui collatis veterum Philosophorum & Christianorum sententiis, Christianam theologiam miserè lancinarunt, occasionemq; Christianis de Deo secus atq; vox cælestis doctrinæ sonat, sentiendi dederunt, veterum philosophiâ ad materias de Deo agitatas obliquo philosophandi cursu accomodatâ. Exclamasse fertur Amelius, Barbarum scriptorem (Iohannem intelligit) breviter complexum esse, quæ de divina ratione, principio & dispositione Plato & Heraclitus tradiderunt. Quam opinionem ex Ploti-

no magiſtro ſuo, & libris Chriſtianorum, qui tum in Alexandrina ſchola inter philoſophos verſabantur, collegit. De Purgatorio quid dicam? Si qua ejus aſſertio in patribus eſt, an non à Platonicis videtur omnino traducta? Locum Platonis adſcribo: Quicunq; in vita quodammodo tenuiſſe medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti vehiculis, quæ unicuiq; adſunt conſcenſis, in paludem perveniunt Acheruſiam, ibiq; habitant, purganturq; pœnas dantes injuriarum, & cum purificati ſunt, abſolvuntur. *Gradus etiam pœnarum ita diſtinxit Plato, ut peccatorum alia purgari in Acheronte, alia puniri in Phlegetonte, alia in Styge atq; Cocyto, alia deniq; in Tartaro, ex quo nunquam egrediuntur, exiſtimet. Romani ſuos quoq; gradus habent, purgatorium, limbum, tartarum & neſcio quem inferorum abyſſum. Idem Plato apud Theodoritum affirmat, ſanctorum animas etiam corporibus exolutas, humanarum rerum ſtatum curare.* Ni-

Nihil hoc ad Romanenſes? Retuli ex Socrate, ea, quæ Chriſtianorum ſapientes evidenter philoſophati ſunt, in Eccleſiam invecta eſſe. Cujus teſtimonii iteratâ ſententiâ, hoc Patrum fundamentum, quod eſt de opinionibus philoſophicis, concludo. Phantaſia ſequitur, cujus nomine profundam cogitationem rerum ſpecies in animo repræſentantem intelligo. Ejus argumenta ſuppeditant variæ fabulæ in libris Romanorum, quas ego non in rerum natura, ſed in phantaſtica fabulantium ſpeculatione credo enatas. Sententiam meam nuper Bernhardinus de Buſco confirmavit, qui frequens eſt in fabulis, quas ille miraculorum & viſionum ornat nomine, enarrandis. Adducit quendam, ecſtaſi puto vehementiſſimâ correptum, qui cum in profundiſſimis ſuis contemplationibus eſſet, fabulam commenticiam enixus eſt. Conſtat verò, pleraſq; Romanorum opiniones miraculis confictis confirmatas eſſe. Ad peregrinum religionis cultum accedo. Duplex ille: Iudæorum & Ethnicorum. Ritus tantùm videamus inſti-

tuta, & superstitiosas Romanorum ceri-monias, quas partim a Iudæis, partim ab ethnicis primi Ecclesiæ patres accepêre. Polydorum vergilium adduco testem, qui in suo de rerum inventione libro idem fatetur. Multa, *inquit*, ab Hebræis, & non pauca ab Romanis cæterisq; ethnicis ad nos instituta manarunt. *Ordines sacerdotum videntur omnino Hebræorum exemplo instituti, uti & pontifex summus & inferiores sacerdotes, majoribus ille, minoribus reliqui cerimoniis erant initiati. Testatur idem Polydorus, Romanos Pontifices instituta Hebræorum sequentes, primos omnium sacris quibusdam initiasse ostiarios, lectores, exorcisatores, acoluthos & alios. Quos ordines Cajus Romanus Pontifex distinxit primus, quibus tanquam quibusdam gradibus ad episcopatum ascenderetur. Exorcisatores dicuntur a Salomone instituti, qui invocarunt super eos, qui spiritibus malis vexabantur, nomen Domini. Ferunt enim Salomonem effugandorum dæmonum invenisse modum. Eodem teste, insi-*

insignia pontificatus ab ipsis Hebræis omnia ferè accepta, linea vestis summa, mitra bicornis, bina cornua, baculus instar Mosis vel Aaronis virgæ. Reliqua, quæ ab Ethnicis mutuati sunt, persequamur. Testis imprimis Beatus Rhemanus, veteres ecclesias aliquandiu ethnicorum cerimonias tulisse. Nec dubium est, omnia Deorum templa a Christianis occupata, sanctis, quos tanquam Deos Romani colunt, consecrata esse. In reformatione templorum nihil magis laboratum, quàm ut sublatis Deorum idolis & nominibus, suorum divorum idola & nomina certa lege colenda, commendarent. Hinc illud Pantheon vetustum Marci Agrippæ opus, divis omnibus Phocæ imperatoris permissu sacratum. Festorum observatio videtur communem a Iudæis & Ethnicis traxisse originem. Maximè tamen ab Ethnicis. Nam in Hebræorum gente sacra anniversaria erant paucissima, nec ea in divorum cultum instituta. Da festa divorum & mortuorum inter Hebræos. Da diem Abrahamo, Mosi, Davidi, Salomoni, patri-

triarchis, prophetis, viris sanctissimis sacrum. Ad gentes eamus. Ecce Iovis Dypolia, Saturni Saturnalia, Mercurii Mercurialia, Bacchi Dionysia, Herculis Nemea, Minervæ Panathenea, Laurentiæ Laurentalia, Cereris Cerealia, Iunonis Herea. Romanos hæc festorum dierum instituta imitatos, quid doceam? Festis diebus templa exornare, lauro, hedera, aliisq; festis frondibus vestire, coronas & flores spargere, Ethnicorum fuit. Nam hæc omnia ipsi, ut ait Polydorus, idolorum cultores autea servabant. Idem Martinus primus Romanorum Pontifex & testatur & vetat. Loca etiam, in quibus singulari quodam cultu divos suos afficiunt, suam ab Ethnicis habent originem, à quibus in Parnasso, Soracte, Papho, Gnydio, in montibus, lucis, sylvis & insulis varii colebantur divi. Ritus cereas offerendi imagines ab iisdem ethnicis proficiscitur. Sacrificia pro mortuis novendialia, nonné Ethnicorum sunt? Lustrare agros, & versus Orientem orare eorundem. Quo magis detestanda Romanorum imitatio, quòd

quòd apud Hebræos hoc fieri non licebat, quibus præceperat Dominus per Mosem in libro legis, nequaquam more aliarum gentium contra orientem, sed quoquo versum intuentes contra templum, Deum orarent. Quod verò gentilium Deorum templa ad solem orientem spectarint, testis Plutarchus in Numa. Etiam triviales deos ad trivia sacris gentium attributa, in quibus oves cædebantur & serta appendebantur, erigunt nostri Romanenses. Consuetudo quoq; est, ut peractis sacris, sacerdos illa verba pronunciet, ite, missa est. Ab ethnicis id omnino emanasse, vel ipse aureus asinus testis apud Apuleium. De aris quid dicam? horum ne numerum ab Hebræis potius, quàm ab ethnicis profectum? Nonné Deus per Mosem primum legislatorem præceperat ut in regione Chananæa, & urbs sacra esset una in loco illustri & fertili, quam ipse sibi per oraculum electurus esset, & templum in ea esset unum, & altare unum e lapidibus ex præscripto ejus constructum? Vnde igitur tot & tam infinitæ aræ? Nempe

Nempè solidissimè testantur, multas ethnicæ religionis reliquias in Christianorum templis hærescere. Ordines Monachorum unde? A Nazaræis Hebræorum? Ab Elia & Iohanne Baptista? Cur non potius fatemur, sodales Augustales, Mercuriales, Talios, Hadrianales, Ælianos, Antoninos, fratres Arvales & alios religiosorum ordines Romanis Monachatum creandi occasionem attulisse? Monachas sanè Pontifex Romanus exemplo Vestalium virginum in suam Ecclesiam induxit. Etiam Bellonarios in ecclesia Romanensium invenias. Illi a cultoribus Baal dicti fortasse, in cujus gratiam lacerabant carnem suam cultris & lanceolis, ut perfunderentur sanguine. Porrò imagines & idola, quibus Romani sua templa exornant, nonne ab ethnicis profecta? Vbi tot & tam varia simulachrorum exempla in Hebræorum templis? Cherubinos serpentemq; æneum & arcam objiciunt. Si hæc exempla dedißent Christianis aliàs imagines effingendi & colendi libertatem, cur non & Iudæis? Vbi viri aut divorum

rum species in Hebræorum templis? Non sustinent a nobis idololatræ nominari. Quid idolum, nisi imago, si malachrum, effigies? Non *curo peregrinam vocis significationem, quam supponunt Romani ad tegendum idololatriæ crimen. Idolum quæ propriè imago, tam falsa, quàm vera est rei similitudo. Rectè Tertullianus:* Omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. *Odium fratris, homicidium est. Interna animi concupiscentia, adulterium. Avaritia, idololatriæ crimen subit, Quidni & statuarum imaginumq; religio? Colebant Israëlitæ simulachra vaccarum vitulorum, quæ rerum verarum similitudines erant, non fictarum. Latiùs jureconsulti:* Non isti tantùm idololatræ sunt, qui colunt statuas, sed omnes illi, qui citra aut contra verbum Dei creaturæ tribuunt, quod expectandum erat a creatore. *Cultum Romani idolorum admittunt, sive honorentur ea propter se, seu propter aliud, dum habent in se cultus caußam, ab alio licet dependentem. Depingit egre-*

gregiè Ieremias illam Babyloniorum idololatriam, & qui honor, qui cultus eorum idolis fuerit præstitus. Quàm convenientissimè oratio illa ad Romanorum idola accomodari potest! Tam a Romanis, quàm a Babyloniis videbis.

Baruch cap.6.

3. Deos aureos & argenteos, & lapideos & ligneos in humeros portari.

7. Ligna ipsorum polita a fabro, ipsa etiam inaurata & inargentata falsa sunt, & non possunt loqui,

8, Et sicut virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati sunt.

9. Coronas certè aureas habent super capita sua dii illorum:

11. Hi autem non liberantur ab ærugine & tinea.

12. Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverē domus, qui est plurimus inter eos.

13. Sceptrum autem habet ut homo, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficit.

14. Habet etiam in manu gladium

& securim: se autem de bello, & a latronibus non liberat.

16. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introëuntium.

17. Et sicut alicui, qui regem offendit, circumseptæ sunt januæ, aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum: ita tutantur sacerdotes ostia clausuris & seris, ne a latronibus exspolientur.

18. Lucernas accendunt illis, & quidem multas: ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo.

19. Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt.

20. Nigræ sunt facies eorum a fumo qui in domo fit.

21, Super corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ, & hirundines & aves etiam, similiter & cattæ.

24. Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis.

25. Sine pedibus in humeris portan-

tur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus.

26. Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt, neq; si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis humeri illis apponuntur.

33. Neq; si quid mali patiuntur ab aliquo, neq; si quid boni, poterunt retribuere: neq; regem constituere possunt, neq; auferre.

34, Similiter neq; dare divitias possunt, neq; malum retribuere. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit: neq; hoc requirunt.

35. Hominem a morte non liberant, neq; infirmum a potentiori eripiunt.

36. Hominem cæcum ad visum non restituunt; de necessitate hominem non liberabunt.

37. Viduæ non miserebuntur, neq; orphanis benefacient.

38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei & lapidei & aurei & argentei.

45. A fabris autem & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes.

46. Aurifices etiam ipsi qui ea faciunt, non sunt multi temporis.

47. Cum supervenerit illis prælium & mala, cogitant sacerdotes post se, ubi se abscondant cum illis.

52. Regem regioni non suscitant, neq; pluviam hominibus dabunt.

53. Iudicium quoq; non discernent, neq; regiones liberabunt ab injuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli & terræ.

54. Etenim cùm inciderit ignis in domum deorum ligneorum & argenteorum & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi verò sicut trabes in medio comburentur.

55. Regi autem & bello non resistent.

56. Non a furibus neq; a latronibus se liberabunt dii lignei & lapidei & inaurati & inargentati, quibus iniqui fortiores sunt.

57. Aurum & argentum & vesti-

mentum quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent.

67. *Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.*

Conferant hæc Romani cum suis simulachris, & quam bellè cum Babyloniorum idolis conveniant, diligenter perpendant. Quæ Babyloniorum fuit, eadem ferè *& Romanorum idolorum est natura, materia, ornamenta, honores, infirmitates, passiones. Si Roma Babylon dicenda, rationem appellationis, communis simulachrorum & idolorum cultus afferet.* Ni*hil enim magis proprium fuit Babyloniorum, quàm idolorum cultus. Minatur E-*

Es.21,9. *saias Babyloni casum, quem eorum caussâ pati debuit:* Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram. *Nihil verò æquè in Romanorum delubris magis detestandum, atq; idem idolorum cultus. Ad capita religionum venio, quorum mirabilis inter posteriores & veteres Romanos consensus. Idem Deus in cælis, idem Pontifex in terris utrisq;. Deum unum & tri-*

trinum ab antiquis Romanis cultum, ex Blondo patet clarissimè. Ait enim: Sanctus, Fidius, & Semipater, dii fuerunt Sabinorum, quos domo demigrantes in collem Quirinalem cum cætera supellectile detulerunt, idq; numen verbis trinum, re unicum dixerunt. *Iam & Paparum nomen, auctoritas, imperium apud Christianos eadem, quæ olim Pontificum apud veteres Romanos. Creavit Numa ex patribus Pontificem maximum, qui & religionibus deorum immortalium & summæ Reipublicæ præesset. Erant enim pontifices constituti judices ac arbitri rerum æquè divinarum atq; humanarum. Eandem auctoritatem nostri Pontifices usurpant. Recte hîc Polydorus:* Fuit id credo, certum portentum, quo significatum est, urbem Romam postremò perinde pontificia potestate, qua nunc latè patet, gentibus moderaturam, atq; olim potentia imperasset. *Talia si a patribus ecclesiasticis accepimus, dubitabis, instituta, ritus, cerimonias, fidem*

& religionem ethnicorum a patribus in ecclesiam Christi invectam? Non Christi religionem, sed potiùs reformatum ethnicismum a patribus accepimus, qui fidem Christianam ad suorum majorum religiones confirmare conati, gravissimè errarunt. Idem accidit reformatoribus Pontificiæ religionis, qui, dum in erroribus Romanorum detegendis tantum operæ consumunt, quantum in veritate è solis scripturis elicienda nunquam: sibi posterisq; suis reformatum Papismum reliquerunt. Sed de firmamentis Patrum hactenus. Propero ad sequentia.

NB.

Ratio VII.
Historiæ.

V*Eritatis Christianæ, non historicorum monimenta, non multitudo errores profitentium, sed codices sacrarum litterarum testes sunt. Fatebimur, antiquiores historicos & laudes & progressus & vicissitudinem errantis Romanæ Ecclesiæ conscripsisse. Errantis, inquam, & quæ a priscis Apostolorum institutis sensim degeneravit.*

vit. Sed objicit adversarius, nihil in religione mutatum, aut a primis seculis degeneratum. Id enim historici, si quid inaudissent, frequentes memorassent, si non frequentes, saltem aliqui, si non aliqui, unus aliquis absq; dubio. Vnum igitur Eusebium testem adduco, Ecclesiam Christi, dum Apostoli viverent, castam & incorruptam fuisse virginem: corruptam verò, illis ex humanis abeuntibus. Sic autem illi ex Egesippo: Ad ea usq; tempora virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum salutaris prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tum aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine ad id usq; temporis delitescentibus Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit, Euſ. li. 3. cap. 32.

NB.

qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt. *Quid ad hæc Romanenses? Ecclesiam videlicet, Apostolorum ætate virginem appellatam, quod nondum illam hæretici palàm apertèq; oppugnarent. An verò furentibus hæreticis sedes Episcoporum vel ab ipsis Apostolis constitutas invadentibus, Ecclesia corrupta dicenda est, quam vos ipsi fidem sponso suo Christo perpetuò servasse fatemini? Si nunquam integritatè fidei à Christo defecit, nec corpus Ecclesiæ penitus dissolutum fuit, licet variis hæreticorum pressa hæresibus, quomodò violari potuit? Aut si corruptam esse Ecclesiam, Apostolis vitâ functis, Egesippus testatur, quomodo nunc virginem esse dicitis? Cyprianus alicubi dicit, sponsam Christi adulterari non posse, incorruptam esse & pudicam. Contrarium hìc audis:* Ad illa usq; tempora, virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia. *Fremētibus*

tibus & sævientibus in Ecclesiam tyrannis, eamq; fœde lacerantibus, tamen integram & inviolatam permansisse fatentur adversarii. Cur eandem Ecclesiæ integritatem negent, hæreticis puram fidem oppugnantibus? Sed considerentur affectiones Ecclesiæ diverso respectu. Quarum alteram in fide, alteram in numero orthodoxorum ponimus. Si fidem hæreticus adeò non corrupit, ut penitus deficeret, numerum igitur & membra Ecclesiæ dissolvit. Si hoc tantùm, falsò ex Egesippo concludimus, puram virginem, vivis Apostolis, mansisse Ecclesiam; illis è vita sublatis, corruptam. Non enim si quis vere credentium numerus defecit, si sedes aliqua orthodoxorum ab hæreticis occupata, Ecclesiam corruptam dixisset, manente semper certo piorum numero, e quibus pura & incorrupta constitisset Ecclesia. Sed apertè testatur historicus, sublatis Apostolis & aliis, qui veritatem Christi audire meruerant, errorem per hæreses exortum esse. Quod si nec illi, quibus divinæ sapientiæ vox grata erat,

superstites erant, sed passi sunt se a fide ad superstitionem, a Christo ad hominum figmenta abduci, ubi tum erat casta illa & incorrupta Christi Ecclesia? Iactent igitur Romani antiquitatem suæ Ecclesiæ, continuam nec unquam interruptam errantis fidei durationem: nobis satis est, eorum errores per scripturas & historicorum, ad quos remittimur, fidem, detexisse, atq; ut Arnobius contra gentes loquitur, inventis frugibus, glandes sprevisse. Taceo annuam & menstruam de Deo fidem, de quâ Hilarius conqueritur. Fuit illa Ecclesiæ Romanæ vicissitudo, cum varias fidei formulas scriberet, de novitatibus, de ambiguis, de autoribus quæstiones moveret. Tandem, Hilario teste, eò perventum est, ut neq; penes Homousianos, neq; penes quemquam ante Homousianos, sanctum exinde aliquid atq; inviolabile perseveraret. Nihilne facies ista Ecclesiæ, in religione mutatum, aut a primis degeneratum loquitur? Quid si proferam varia historicorum testimonia, quibus impietas, fastus, luxus, crudelitas, tyrannis,

bella acerrima, superstitiones, fraudes, rapinæ, perjuria antistitum Romanorum, ipsiusq; Romanæ ecclesiæ plenissimè confirmantur; negabis religiones tuorum Pontificum a priscis Apostolorum ecclesiis alienissimas? Latè patet hic disserendi campus. Dari a nobis quoq;, fuisse aliquando Romanam ecclesiam sanctam & Apostolicam, verum est. Si quæris, quando hanc fidem tantopere celebratam Roma perdiderit, dicam, tum fidem illam sanctam desiisse, cum ab Egesippo integritas fidei Apostolicæ desiisse dicitur. Sed erant tamen gradus deficientis fidei. Non enim tam citò vera & necessaria salutis nostræ instrumenta ex animis Christianorum rabies illa hæresium extorsit, etsi aliqua ex parte corpus doctrinæ Apostolicæ læsum fuerit. Certamina inter Christianos de articulis fidei penè nulla, antequam seges illa hæreticorum succreverit. Quibus exortis, dum in Ecclesiam sub Domitiano, Traiano, Maximino & Diocletiano sævitum, magis herclè probissimi quiq; pietatis fervore, quàm novis quæsti-

unculis de fidei articulis inter se certabant. Tempore quippe martyrii non de fide certamina, sed de animarum salute agebantur. Fuit, inquam, illud seculum exercendæ pietatis, non controversiarum. Quod si prava religionis opinione, quam vel hæreticorum vel antistitum errantium persvasio ingesserat, salvâ tamen pietate, nec animo a Dei & Christi cultu alienato, laborarunt; a præmio illo Christianæ fidei minimè censendi sunt alieni. Nam ad religionem veram, si quid forinsecus vitio nostri judicii accesserit, quo nec tollitur Dei cultus, nec pietas languescit: nihil prohibet, quò minus populus Christi & dicamur & simus. Nec verò sectæ & hæreses, semper ex animi malitia oriuntur, sed plerunq; ex rerum ignorantia. Ideoq; nullæ unquam sectæ, quarũ exempla inter Iudæos; æque graviter punitæ, atq; impietas. Et fac videam, in solas hæreses, improbitatis vacuas unquam animadversum. At verò cum ad clavum reipublicæ Romanæ Cæsar admotus esset, qui nomen Christo dederat, episcopis variis

fidei formulas per ocium effingentibus, cæpit corrupta Christi fides, magis magisq; depravari. Tandem longis temporum progressibus, episcopis summum & absolutum principatum totius ecclesiæ & imperii sibi arrogantibus, nihil priscæ & Apostolicæ fidei relictum. Vnde non pauci antistitum Romanorum erant, qui palàm & apertè, ore & stylo suo Romanum Pontificem impietatis accusabunt. Leges apud Aventinum, Gregorium septimum specie religionis, Antichristi imperii fundamenta primum iecisse. Et Bernhardus: Serpit, inquit, hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ. Servi Christi serviunt Antichristo. A planta pedis, usq; ad verticem non est sanitas ulla. Quod si nec tempus, non Pontificem; nec viam, nec vim, nec incrementa ostendimus, quibus Romam & orbem fides pervasit aliena: satis est ostendisse, veterem illam Apostolicæ fidei formam penitus oppressam, & peregrinam religionem introductam esse. An quia tempora, quibus impurus spiritus lapsus est,

Anal. 17

ignoro, lapsum malorum spirituum neges? Benè verò habet, quòd ipsi adversarii Romam esse Babylonem fatentur. Nam etsi id de urbe Romanâ, ut Duræus ait, à fide Christi adhuc abhorrente dictum; cum tamen ejus vocis usus & significatio apud posteriores sit, puta Hieronymum, Augustinum & Orosium, videtur etiam eo ipso tempore, quo fidem Christi profitetur, urbs Roma nomine Babylonis tanquam proprio & tritissimo dici posse.

Sint igitur vestri historici. Loquantur, quæ creditis. Corruptam videlicet per vestros Pontifices religionem Christi. Nos, quia Romani de Romanis testantur, nec alii rerum in Ecclesia Christi gestarum scriptores leguntur, neq; fidem adversariis abrogamus, neq; amissos testes appellamus. Romanos e Romanis historicis apertè & authenticè impietatis & depravatæ religionis convinci posse, satis est.

Ratio VIII.
Paradoxa.

Iam ad aliud rationis genus progredimur,

mur, a cujus ventilatione sustinere me potuissem, cum paucissima eorum Campianus attulerit, quæ ab adversariis nobis jure meritoq; objici possint. Cætera nihil ad nos. Explodi versum a Luthero e supplicationibus ecclesiæ, locum apud Iohannem non explicari, quòd Christus deus sit homousios Deo patri, Lutherum odisse verbum homousios, rectè factum judicamus. Christum animi dotibus velut cæteros homines adolevisse, infernum in symbolo sepulchrum accipiendum esse, baptismum non esse undam salutis, non canalem gratiæ, non merita Christi, in nos derivare, sed ritum & cerimoniam esse per quam Iudæi & gentes Christiana religione se devinciebant, omnia veritati divinæ sunt consona: tantùm abest, ut quædam opinionum sint portenta. Disputantur hæc alibi, ideoq; confirmatione eorum supersedeo. Ego verò nullam unquam sub Sole hæresin extitisse credo, quæ tot ac tantis opinionum scateret portentis, atq; Romana. Nam quid antiquitatem hæresium feracissimam opponis? Erant hæretici numero-

merosissimi, singulorum tamen pravæ & horrendæ opiniones enumerari possunt. Romanorum paradoxa nullo modo. A planta pedis, usq; ad verticem non est sanitas ulla. *Admirabilia omnia, contraq; opinionum omnium, qui veritatem Christianam purè & integrè ad normam fidei infallibilem exigunt. Placet igitur aliqua Romanorum paradoxa promere, quorum alia licet probentur in vulgus, adducenda tamen, ut cum iis, quæ ab opinione multorum abhorrent, conferantur, tanquam cognata & inter se pari vinculo consociata. Prioris generis voco paradoxa limatiora, quorum absurditatem præjudicata opinio, in auribus hominum emollivit. Posterioris, sunt crassiuscula, seu absurdissima opinionum monstra, a quibus non ii tantum, qui ecclesiæ Romanæ nuncium miserunt, verùm & ipsi Romani, quos ætas nostra acriori beavit judicio, abhorrent non immeritò. Videamus primùm limatiora ista, de scripturis, de Deo, de Christo.* — Bernh.

Bell. Sacra scriptura tum demum est ver-

verbum Dei & regula fidei, si juxta sensum Ecclesiæ Romanæ intelligatur. Vulgata latina versio in omnibus lectionibus & disputationibus pro authentica habenda est, ita, ut nemini liceat ab ea, quamvis justissimæ caussæ prætextu, provocare. Ibid. Non omnia dogmata ad fidem & vitam Christianam necessaria, in Scripturis continentur. Ibid. Scriptura sine traditionibus non admodum necessaria est. *De Deo quid sentiunt?* Deus trinus est & unus. Deitas in Trinitate adoranda est. Pater, filius & Spiritus sanctus sunt inseparabiles, naturâ inseparabiliter operantur. Deus passus est & mortuus. Deus homo factus est. Deus qui est, & qui erat, fit creator creatura. Christus factus homo, ut lytron patri solveret, iram patris placaret, & pro peccatis universi generis humani satisfaceret. Virgo Maria concepit & peperit Deum incarnatum.

Quid de Pontifice Romano, de Ecclesia? Pontifex Romanus in fide errare non poteſt. Pontifex ne quidem ut particularis perſona eſt, hæreticus fieri poteſt. Pontifex, ut olim Apoſtoli, jurisdictionem ſuam immediate habet ab ipſo Chriſto. *Cur igitur per cardineos patres eligitur, & imperium capeſſit?* Pontifex ſummam habet poteſtatem in rebus politicis. Eccleſia viſibilis a profeſſione veræ fidei, deficere non poteſt.

Audiamus cætera. De cultu mortuorum ſunt iſta: Sancti mortui non modò beata quiete apud Deum fruuntur, ſed etiam adeò perfectam gloriam & felicitatem poſſident. *Si ita eſt, ſanctos unquam mortuos eſſe qui credam? Plura audire liceat.* Sancti mortui, præſertim canonizati, uti & cæleſtes Angeli, non humano vel civili tantùm, ſed & divino ſeu religioſo cultu nobis adorandi ſunt. Reliquiæ ſanctorum majore, quàm humano & civili cultu adorandæ ſunt.

ſunt. Imagines Dei, tum Angelorũ & hominum ſanctorum, propriè & per ſe, non autem tantùm reſpectu prototypi colendæ ſunt, & quidem cultu religioſo *Pergamus.* Infantes ad Baptiſmum oblati, actu credunt fide aliena, id eſt, eccleſiæ. *O fidem!* Baptiſmus, omne peccatum vi operis operati prorſus abolet. Vnum numero corpus pluribus, imò penè infinitis ſimul locis, verè & ſubſtantialiter adeſt. Purgatorium, eſt ſubterraneus locus, in quo animæ peccatorum purgantur. *Platonicum hoc eſſe, ſupra oſtendimus.* Animæ laborantes in purgatorio, divinæ juſticiæ ſatisfacere poſſunt. Animæ piorum, ante Chriſti reſurrectionem omnes in limbo infernali detentæ fuerunt. Antichriſtus in ipſo fine mundi adveniet, eritq; homo ſingularis oriturus ex Iudæis è tribu Dan, & ab iiſdem pro Meſia ſuſcipiendus.

Sed hæc in animis multorum ita oc-

ca-

calluerunt, ut neminem in justam admirationem traducant, nec contra opinionem hominum, quos idem mentis furor occupat, aut quorum aures perpetuus axiomatum usus & diuturna admiratio emollivit, adduci videantur. Proferantur jam crassa illa Romanorum paradoxa. Vos mihi quæso patientissimas præbete aures, quorum axiomata in exiguo licet fasce minutatim colligo. Placeant ista, quæ pro re nata loquor, & quorum sive antistites, seu fidelissimos Romanæ ecclesiæ clientes non puduit, ut in codices referrentur. De Deo & Christo quid audio? Tota Trinitas nascitur ex Maria, & Trinitas assumit corpus, cum unita semper sit. Omnis natura a Deo est facta. Deus est ex Maria factus, Deus omnium factor, se ex Maria fecit Christus clausus in virginis utero, in æternitate à Deo patre Deus generabatur æternus: & in eadem æternitate ipse in ventre matris Deum inspirabat & producebat. *Ænigmata, tricæ, fabulæ.* Diabolus pretium,

um, quod in nostra liberatione intervenit, accepit. *Ad Pontificum auctoritatem transeamus. Vos animos accuratè advertite.* Papa non tantum vocatur vicarius Christi, sed etiam Dominus Deus noster. Papa est lex animata in terris. Papa est contra jus, & supra jus, & extra jus. Papa nec Deus est, nec homo, sed neuter est inter utrumq;. Papa est Dominus dominantium, & jus regis regum habet in suos subditos. Papa potest mutare quadrata rotundis. *Vin' famulos tanti Monarchæ? Attende animos ad ea, quæ sequuntur. Princeps civitatis, quam Papa intrabit, etiamsi esset rex, ducet equum Pontificis freno. Vin' gerulos? Si ita placeat Papæ, ut non equo, sed sella vehatur, tunc imperator vel rex, si quis adsit, debet ipsam sellam suis humeris sustinere. Vin' Ganymedes? In Papali convivio imperator vel rex Romanorum, debet portare primum ferculum. Satis est. Persequamur reliqua, & ab homine ad divam eamus.* Maria duodecim annorum

rum fuit, quando concepit Dominum. *Iterum.* Nisi Dominus custodisset matrem suam, angelus tenebrarum denigrasset eam. *Dabimus plura.* Non credendum est, quod sancta Trinitas dixerit Angelo: Vade ad Mariam; sed: Vade ad illam excellentissimam virginem, gratià plenam. *Estne quid amplius?* Gabriel totus lucidus erat, & in forma hominis pulcherrima. Et credo eum multorum angelorum comitiva fuisse sociatum. Qui reverenter gloriosam virginem salutans, dixit ei: Ave madona de grande cortesia. *Proh hominum fidem! ubi pietas? ubi frons? Sed perge tamen.* Maria optimè ubi opus erat silentio, sciebat tacere. Noverat namq; etiam, veram esse illam Ovidii sententiam in secundo de arte amandi, dicentis: Eximia est virtus præstare silentia rebus. *Audio & obstupesco. Profer alia.* Quando rex Christus ad cælum ascendit, ipsa Maria tanquam regina eccle-

ecclesiam gubernavit, quod totius Ecclesiæ magistra per mansit. *Habesne plura?* Virgo Maria, si fas est dicere, secundum quid majora fecit Deo, quàm ipse Deus Mariæ, & universo generi humano. *Quæ pietas ferat hanc paradoxi absurditatem? Non illa Divæ officia recenseo, quod genitrix divinæ majestatis, domina cæli & mundi, vena nostræ salutis, nostræ justificationis perfectrix, renovatrix humanæ naturæ, mediatrix Dei & hominum, fundamentum nostræ fidei, vivificatrix ab æterna morte. Sunt & alia ridicula.* Gens Mahumeti per ordinem beati Francisci ad Dominum convertetur. Bis evacuatũ est coelum: Primò quando Christus ascendit, secundo, quando virgo beata assumpta fuit. Vniversale judicium futurum est in valle Iosaphat. *Quod sequitur, audiant illi, qui socios imperii Iesu, non ministros agunt,* Nos nunc dicimur Christiani a Christo: & in paradyso appellabimur Iesuani à Iesu. *Quàm præcox Chri-*

Christianorum genus Iesuitæ? De fide quid? Difficilius peccare, quàm credere. Non fides requirit intellectũ, sed peccatum. Infantes per alienum intellectum peccarunt, per alienum intellectum quoq; credunt. *Cætera passim persequamur.* Omnia amicorũ sunt communia: in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges. *Et quod absurditatis & impietatis suæ pondere omne reliquum paradoxorum Romanorum pondus vincat, legatur in Canone. Pontificio:* Si Papa infinitas animas secum in infernum traheret, tamen nemo debet eidicere, quid facis? *Dabimus in gratiam Monachorum quippiam:* Monacho licèt, deposito ad tempus cucullo, uxorem ad tempus ducere, permissu Pontificis. *Mitto animarum negotiationes & absolutionum pretia, quæ trito indulgentiarum nomine vocantur. Extat liber Lutetiæ editus, cum privilegio Parlamenti, in quo maxima peccata hominũ & scelera, minimâ æstimantur pecuniâ. Nam homicidia, parricidia,*

cidia, adulteria, incestus, furta, sacrilegia, perjuria, depensis aliquot denariis expiari audies. Sed quis tam ridicula, tam impia, tam adynata, tam portentosa opinionum commenta enumeret? Manus abluo, & quiesco.

Si tantum nobis obijci posset, nunquid adversarii ab omni ludibrii & contumeliarum genere abstinerent? quibus maledictis professionem religionis nostræ velarent? immò quibus suppliciis tam falsa, tam impia paradoxorum portenta censerent expianda? Ringentur ad hæc, opinor. Ardescent bile. Nos dolore, quem ex tanta augustissimæ religionis depravatione haurimus.

Ratio IX.

Sophismata.

VT *Romanorum paradoxa; ita & sophismata non modio, ut Comicus ait, neq; trimodio, sed ipso horreo dari possent, si ratio temporis habenda non esset. Nec hujus loci est, omnia aut saltem quàm plurima proferre sophismatum genera, nisi*

nisi quis adversarium in immensum disputandi campumvelit compellere. Breviter igitur hoc rationis genus expendemus

In Sciamachia, quæ contra cælibatum sacrificulorum, merita sanctorum & cultum mortuorum afferri solent, ridet Campianus. Defendit sua Witakerus, ad quem lectorem reijcio. Plures idem paralogismos opponit Campiano, quorum alii à Duræo ut nothi reiiciuntur, alii admittuntur. Ego verò non possum non meminisse, quantoperè in nos sit debacchatus Scarga, Iesuitarum in Polonia princeps, in suo libello ante triennium edito. Vbi hoc fallaciarum genere turpissimè laborat. Contra id quod nostram de Deo, deq; Christi essentia & excellentia sententiam & veram esse & ab omni sophismatum acie tutissimam dicimus, quid attulit? Arrium & hæreticum & impium & horrenda morte extinctum esse. Concedimus. Quid fecit? Auras & umbram. Videamus alios paralogismos. Rectè & piè credimus. Christum Dominum & Deum nostrum esse, non tamen illum Deum, cujus filius est, & cujus principium nullum. Quid illi afferunt? Illud nempe ex Iohanne: Deus erat verbum. Admittimus. Sed quid ad rei probationem? In eos, quorum aures præceptis & monitis ecclesiæ Romanæ non patent, torquent Christi dictum: Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit. Verum hoc, Quid ad Mercurium? Monet adversarius, Episcopis & densissimæ sacrificulorum catervæ a Pontifice emissæ, uti nos obedientes præbeamus, ab ecclesiæ nostræ Ministris abeamus. Neminem quippe munere scripturas interpretandi rectè fungi arbitratur, nisi missus fuerit ab Episcopo Romano. Audiam rei argumentum. Quomodo, inquit ex Apostolo, prædicabunt, nisi missi fuerint? Concedimus hoc. Quid inde elixas? Nunquid legatos & summæ felicitatis interpretes adhuc desideras, qui ad prædicandum evangelium, quod seculis quindecim annunciatum, emittantur? Non missio legatorum seu Apostolorum, non ev..ngelii per legatos prædicatio requiritur,

tur. sed sententia evangelii a legatis olim prædicati populo repetenda, recognoscenda, & explicanda, quo ad verum pietatis cultum & mysteriorum cognitionem adductantur. Ad hoc officii munus digni in Ecclesia eliguntur. Hic tamen auctoratus lanista, dicto Apostoli in aream prolato, quantas turbas movet? Quos orationis movet fluctus? Quàm verbosè cum adversario depugnat? Sed quid cædit? sermonem. Latet quoq; hujus generis vitium in sequenti homonymia Campiani. Damnat eos, qui delectus ciborum improbant. Quâ ratione contrarium defendit? Moysem, Davidem, Heliam, Baptistam, Apostolos, biduo, triduo vel hebdomadis inediam tolerasse. Damus hoc. Probationem deligendorum ciborum non video. Nunquid sanctorum jejunium erat inciborum dilectu.

Sequitur Logomachia, *cujus exemplum nihil ad nos. Solis verbis, litteris aut syllabis; omisso rerum sensu, non inhæremus. Probent nobis missæ, Purgatorii, Trinitatis opiniones. De verbis nullam litem movebimus. Dum verò nec rerum solida testimonia & fundamenta è scripturis proferuntur, liceat nobis ipsa opinionum vocabula admirari, eáq; finibus religionis Christianæ exterminare.*

Ad Homonymiæ *vitium, nulla exempla subjicio, nec subjecta, quæ aliena defendo. Frequentissimè illa in scriptis adversariorum occurrunt, qui per ancipites & multiplices verborum potestates errant sæpissimè. Augustinus scribit,* ad dignitatem scripturarum pertinere, ut sub una litera multos sensus contineant. *Sed unde genuinam vocis homonymæ explicationem petemus? Nonné ex subjecta loci materia? Si quid contra legem hanc committimus, adsumus, informent nos, & salutarem promant sensum. Veritatem hîc sanè ex rationum momentis, non ex imperioso Romanæ Ecclesiæ judicio æstimamus.*

In Circulatione *poscit Ecclesiæ notas, Dabo unam ex Bellarmino; Sanctitatem doctrinæ. Id est, nihil continere falsum, quo ad fidem doctrinæ: nihil injustum,*

stum, quoad fidem morum. Hanc & unam & verissimam, Ecclesiæ formam agnoscimus, ex qua vera Christi Ecclesia probetur. Negabis hanc esse apud nos? Iam igitur evidentiores salutaris doctrinæ notas, circumstantias, effecta, consule, uti sunt: argumenta fidei è solis scripturis tanquam unico religionis Christianæ principio petita: conspiratio in doctrina cum Apostolica Ecclesia: nihil ex humanis traditionibus ad summa religionis capita adscititium: doctrina invicto argumentorum robore consolidata: pietas ad doctrinam Christi conformata; charitas, patientia, benignitas, temperantia, justicia, & alii salutaris doctrinæ fructus. Iam consuluisti, nec faves nobis? An putas tam cogentes Ecclesiæ dari posse notas, ex quibus contumacissimis quibusq; veritatis osoribus, vera Christi Ecclesia, citra contentionis morem, probetur? Si ulla demonstratio est, quâ veritas Ecclesiæ ostendatur, eam ex veris, propriis, necessariis, & perpetuò Ecclesiam comitantibus caussis & signis deduci oportet. Ex nothis com-

communibus, contingentibus, iisq; quæ ad tempus, quid concludes? Atqui datâ Ecclesiæ materiâ, quæ populus, præter caussam essentialem, quæ est doctrinæ sanctitas, nihil est in Ecclesia magis proprium, necessarium, perpetuum. Videamus omnes Pontificiorum notas, earumq; affectiones, hac unâ Ecclesiæ formâ quam ipsi agnoscimus, exceptâ. Dabis primò ipsum nomen, Catholicum. Fatemur notam esse, sed Romanæ non Apostolicæ Ecclesiæ, ideoq; rejectaneam. Dabis Antiquitatem? Dicam cum Ignatio tuo: Mihi antiquitas Christus est, cui non obedire, præsentissimum est exitium. Et verum illud Apollinis: Antiquissimum, quod optimum. Durationem non interruptam? Nempe Ecclesiæ Romanæ. Multitudinem credentium? major infidelium amplitudo & varietas. Successionem episcoporum? Non caussatur veritatem Ecclesiæ. Conspirationem in doctrina cum antiqua ecclesia? Si Apostolorum ecclesiam intelligis, nulla est inter Pontificios. Vnionem membrorum inter se & cum

cum capite? Fatemur *eſſe vehementem in erroribus graviſſimis unionem. Efficaciam doctrinæ? ſcilicet pervertentis animas. Sanctitatem vitæ Patrum? Audi Hilarium:* Mordentes invicem, jam abſumpti ſumus. *Quæ ſanctitas maximam privatorum commodorum, minimam Eccleſiæ rationem ducit? Exagitat hæc Patrum ſtudia, atq; adeo inſectatur magnus ille Chriſtianorum Imperator. Gloriam miraculorum? Lumen propheticũ? Vtrunq; eſſe deſiit. Confeſſionẽ adverſariorum? Quid fateri oporteat, diximus. Infelicem oppugnantium Eccleſiam exitum? Eundem alii ſortiuntur exitum. Felicitatem terrenam? magis hæc infidelium, quàm credentium, Quo jam repones iſta Eccleſiæ accidentia, quæ nec vera, nec propria, nec neceſſaria, nec perpetua? Educ è noſtris notas veræ Eccleſiæ contrarias, easq; ad Romanorum Eccleſiam applica. Invenies articulos fidei ipſamq; religionis formam è Patribus, philoſophis, judæis, ethnicis depromptam, idololatriam, abſurda, paradoxa, rationes indignas, in quibus opera ponatur ad contradicendum, nervos argumentorum jam dudum eliſos, impietatem, odia acerrima, tyrannidem, aliaq; id genus vitia, quorum habitum Romanæ Eccleſiæ membra contraxerunt, & quæ toties committuntur, quoties expiantur: & quàm facilè expiantur, tam facilè committuntur.*

Veſtra jam hujus paralogiſmi exempla videamus Crimen depravatæ religionis objicimus. Diluite. At nihil à nobis commiſſum. *Cauſſam in judicium ducimus. Probabimus.* Iudicet Eccleſia. *Quænam?* Catholica. *Immò hæc ſe nobis explicet.* Atqui nullius criminis rea. *Vin' ſingula percenſeam?* Placet, ſed attendat Eccleſia, & controverſiam dijudicet. *En circulos, en verborum fabricam in tot orbes ſeſe torquentem. Et quo jure, quâ lege judex in ſua lite judicem agat? naturæ? civium? gentium? Alia videamus. Dic mihi, num panis transformetur in Chriſtum Dei viventis filium?* Maximè. *Quomodo?* Subſtantia panis mutatur in ſubſtantiam corporis Chriſti. *At quomodo accidentia*

panis manent, sublata ejus substantia? Nescio, sed constat panem transsubstantiari in verum corpus Christi. *Simile illud est: Potest Christus esse, & in cœlo & in Eucharistia simul?* Potest. *Atqui unum numero corpus non potest esse simul in diversis locis.* Verum est: corpus tamen Christi & in cœlo & in Eucharistia simul est. *O circulos! Vbi ratio & auctoritas scripturarum deficit, ibi ad testimonîa quindecim ætatum & auctoritatem Ecclesiæ, naturam & rerum ordinem pervertentis, desperatâ victoriâ confugitis. Nam conclusi in circulo, à scripturis ad rationes, hinc ad certissimum deffidentiæ vestræ asylum, Ecclesiam dico, sed quam iterum rationibus & scripturis defensam oportet, discurrendo, maxime argumentorum vertigine laboratis.*

Ratio X.

Omne genus Testium.

M*Iremur hic Campiani saltus. Scandit cœlos, descendit in tartara, redditur ter-*

ris. Prosequamur hominem, quà patet via, & testium fidem, ad quos ducimur, exploremus. In cœlo contemplatur martyres. Vereor, ut contemplatio illa vigilantis sit, non somniantis. Nondum auditæ *triumphantiũ voces:* Vbi tua, o mors, victoria? ubi tuus, ô sepulchrum, stimulus? *Dabimus, martyres illos præmium cœlestis vitæ manere. Quinam illi? Pontifices præsules, greges fidelium. Nego fuisse Pontifices. Erant alii Romanorum gentilium pontifices, uti L. Piso sub Tiberio, Vitellius & Plautius Ælianus sub Vespasiano, qui eo nomine præsules Christianorum vocari nunquam passi essent. Sed facit infinita Romanensium potestas, ut mortui vivant, & titulis dignitatum, quas nunquam gessère, ornentur. Quorum martyres illi censendi sint, quid refert scire? Sint Romanorum. An ideò, quòd Romani erant, coronam vitæ merentur? An quia hæc crucem invenit, illa moriens orari & sacrificari pro se mortua flagitavit, hic exercitus vigiliis, paludatus ciliciis, jejunio pastus, ille hostiam gestans*

naufragus in mare insiliit, hæreditatem æternæ gloriæ adibunt? Nunquid aliæ principes desunt caussæ, quarum beneficio tantam felicitatem assequuntur? Fides in Christum, obedientia præceptorum ejus, constans pietas & invicta. Hæ religiosissimæ virtutes multos errores ex ignorantia commissos elevant, ne cui exitio sint. Errare mallem cum istis, quàm cum Romanensibus nostris sentire. Leviora errata, nunquam gravissimas fidei virtutes tollunt. Sed profectò miserrima atq; crudelissima supplicia æquis atq; libentibus perferre animis, non veritatis, sed puræ & rectæ conscientiæ argumentum est. Quàm infinita hominum millia vario cruciatuum genere in Hispania, Gallia, Italia, Anglia, Germania, Belgio, Pontifex Romanus affecit? Illosne veritatis testes existimet, qui dira quæq; supplicia passi sunt? Quid? putásne martyrum fidem omnino Romanæ fidei parem esse? Habet suos ortus, habet sua incrementa Romanorum religio. Sensim illa & leviusculo sono ad tantam superstitionem & impietatem

provehebatur. Quæ vestigia tantæ idololatriæ in primo seculo? Quæ in altero? Consule *Tertullianum, disciplinam, ritus, mores Christianorum graphicè depingentem.* Novem *persequutiones in prioribus duobus seculis, decima sub initium tertii concitata, quarum tempore tam turpissimos Romanæ ecclesiæ errores fuisse, nunquam probaveris. Plurimos fortasse ostendes sequentium errorum tanquam pro dromos, sed quorum usum & maturitatem ardens pietatis studium martyrii caussâ excitatum hebetavit, & frequentiùs retudit. Rectiùs itaq; dixerim, omnes illos martyres ad neutros pertinere. Sed fides eorum ita librabitur, ut neq; cum idololatria, neq; cum omnimodè vera sit conferenda fide, si quidem Romani evicerint, se aliquid commune, quo ad errores, cum martyrum fide habere. Sapit verò egregiè hæreticorum ingenium, martyres testes adducere, ubi vera & propria desunt rationum pondera, quò earum defectum suppleant, infirmitatem roborent.* Hinc *ille scriptor contra Cataphrygarum*

hæresim apud Eusebium: Quando in cunctis istis redarguti, argumentis destituuntur, ad martyres confugere nituntur, multos se martyres habere, atq; illud certum prophetici spiritus, qui apud ipsos sit, documentum esse dicentes. Est autem hoc potissimum non ita verum, sicut videtur. Nam & aliarum hæresum quædam plurimos habent martyres, quibus tamen non ideò consentimus, nec veritatem ab illis haberi confitemur. Et primi quidem Marcionitæ plurimos se martyres habere dicunt, cum tamen Christum ipsum secundùm veritatem non confiteantur.

Abit jam Campianus in tartara, Iudæos, ethnicos, Turcas, Hæreticos testes ex Averno evocaturus. Insequamur, fidem eorum exploraturi. Quid testantur Iudæi? Se quidem primis trecentis annis odio acerbissimo, tanquam à natura ita formatos, persequutos esse gregem fidelium, Romanensium neminem, cujus religio

gio tam depravatissimæ fidei responderet. Quid Ethnici? idem testantur. Quid Turci? se Romanenses, permissu divino, uti impios Dei cultores & idololatras vexasse, agros eorum, vicos, oppida, urbes, regiones vastasse, suos & Dei hostes variis cladibus affecisse. Quid Hæretici? Se quidem errasse, & pravas opiniones in Ecclesiam Christi articulatim invexisse: Romanenses verò totum Ecclesiæ corpus tredecim ferè seculis in novam religionis formam, maximè ad ritum gentilium & Iudæorum transformasse. Hi testes, hæc testimonia sunt ex Averno. Placet verò altiùs sedes inferorum inspicere, & testimonia tam hominum, quàm spirituum sagaciùs explorare. Hominum alios Christianos, alios infideles videas. Illi propter hæreses & tyrannidem ad inferos relegati. Quid enim queruntur? Se nimirum à vero fidei. Christianæ fundamento, à Christo & Apostolis turpissimè aberrasse, verbo, quod nec scriptum nec pictum, deceptos esse, auctoritatem divinæ veritatis infra Pontificum leges & imperium duxisse,

xisse, nec fidem nec obedientiam Deo debitam præstitisse, improbam vitam absolutione Pontificum & præsulum suorum fretos egisse, præter Deum & Christum infinita mortuorum millia, imagines, simulachra coluisse, tyrannidem in homines longè fidei normâ & pietate clariores in Hispania, Gallia, Italia, Anglia, Germania, Belgio & aliis passim locis crudelissimè exercuisse, atq; adeò, ut intra viginti annorum spacium quadragies millena Christianorum millia, inter quos quadraginta millia nobilissimorum hominum reperiuntur, miserè trucidarentur: ideoq; se meritas pœnas dependere. Propero ad infideles. *Adsunt alia Iudæorum, Turcarum, Ethnicorumq; genera. Queruntur, omnem viam ad veritatem evangelii cognoscendam, tot ac tantis Pontificiorum superstitionibus, articulis fidei à communi ratione aberrantibus, pravis de Deo opinionibus, operibus etiam à Christi legibus deviis, sibi interceptam esse. Prodit immensus Indorum occidentalium numerus, dolentium, se neq; apud supe-*

superos, neq; apud inferos calamitates pervadere posse. Crudelitatem Romanensium accusant, qui sub prætextu propagandi imperii Christiani, tot myriacles Indorum absq; omni caußa interfecerunt, qui inermes illos greges, ut segetem falce, sternebant, atq; insulas, quæ olim quingentis & sexcentis hominum millibus erant succinctæ, alibi vix quindecim ex iis retinere in semen passi sunt. Interfectorum vero alii ferro cæsi, alii saxis affixi, tormentis lacerati, objecti canibus, protriti equis, usti flammis, & mille aliis modis consumpti. Hi sunt fructus, hi flores Romanæ Ecclesiæ, per cædes, per tormenta, per tyranuidem animas hominum convertentis! Vindicem hic Deum appellant, qui tam tetra, tamq; nefanda. Catholicorum mirantur facinora:

Descende cælo turbine flammeo
Armatus iras Angele vindices,
Libidinum jam notus ultor
Exitio Sodomæ impudicæ.
——flammis perde sequacibus
Turpes colonos, Christianæ
Dedecus opprobriumq; terræ.

Alia Dæmoniorum testimonia sunt. Dolent enim, se angustiùs, luce verbi divini exortâ, regnare. Christo per orbem terrarum prædicato, compressa Dæmonum oracula, ipsiq; Dæmones ex suis delubris, fanis, lucis, cessere. Testes nostri majores, genitores, avi, proavi, quantus florente Romanorum religione, spirituum, larvatrum, lemurum, manium, larium, tutelarium fuerit numerus. Quorum apparitiones crebræ, quid aliud, quàm versutiam & fraudes Sathanæ ignotas esse, testantur? Quid raræ, nisi detectos dolos? Atqui nostris temporibus quàm rara spectra, immo rarissima conspiciuntur? & si qua, crebrius inter Pontificios, rariùs inter hæreticos. Cæterum quæ voluntas sit horum spirituum erga Antistites Romanos, declarat unum illud saltem litterarum exemplar, quod ab ipsis Pontificiis emissum, inq; libris eorum, hæreticis adhuc latentibus, expressum. Exscribo, & omnibus Pontificiis relegendum pono.

Lau. consc. » *Beelzebub princeps Dæmoniorum, & » Dux tenebrarum, cum satellitibus suis, omnesq;*

» *omnesq; tartareæ potestates. Archiepiscopis, Abbatibus, præpositis, Decanis, Presbyteris, cæterisq; ecclesiarum rectoribus, suis carissimis amicis, nunc & in æternum tartareas salutes, & inviolatæ societatis fœdera, quæ dissolui non possunt in æternum. Magna nobis fiducia est in amicitia vestra, amici carissimi, multumq; de vobis congratulamur, quia sentitis optimè nobiscum, & quæ nostra sunt, diligenter quæritis ubiq; tuendo atq; fovendo, quicquid ad nostrum jus pertinere cognoscitis. Sciatis ergo vos, universitati nostræ multum esse acceptos: Et multa gratiarum actione, studia vestra persequimur, eo quòd infinitæ multitudines animarum per ministerium vestrum & exempla à via veritatis abductæ, quotidiè nobis captivæ adducuntur, unde Regni nostri potentia magnificè roboratur. Perseverate igitur, tanquam fideles & intimi nostri in amicitia nostra, & in opere, quod cœpistis, quod profecto parati sumus, pro omnibus his, vobis rependere retributionem condignam, & mercedem congruam ex inse-*

,, *inferioribus inferni. Valete, & salus no-*
,, *stra sit vobiscum in æternum. Manum ab-stinuissem, si occasioni tam amplissimæ parendum non esset. Quid dicam Romane? Tute hoc intristi, omne tibi exedendum est. Si vera de tuis testaris, quidni credam? Si falsa, quo fine fallis? Equidem nemo testimonium in sua re dicit. Suum tamen maleficiũ prodenti, cuiq; creditur.*

Sequamur ducem, & terris reddamur. In his convocat testes Patriarchas, sedem Apostolicam, principes, reges, Cæsares, nationes ad Christum traductas, academias, legum tabulas, mores hominum, electiones Cæsarum & inaugurationes, ritus & injunctiones, equitum ordines, chlamydes, fenestras, numos, urbanas portas, domus civicas, avorum fructus & vitam, res omnes & reculas, nullam in orbe religionem nisi Romanensem in iis unquam radicibus insedisse. Totam rerum universitatem appellat. Quid nos? Totum mundum in malo jacere, cum Apostolo fatemur. Nec mirum. Quandoquidem Babylon vinum iræ scortationis suæ potandum

dum præbuit regibus, principibus, & omnibus gentibus. Itaq; multitudo errantium non parit errori patrocinium. Invertimus Campiani mentem, & dicimus, patriarchas, papas, patres, reges, principes, imperatores, nobiles, civiles ritus, & illa ridenda potius quàm admiranda, chlamydes, fenestras, numos, omnes deniq; reculas de erroribus & impietate Romanensium abundè testari. Quis dubitet? Proferrem infinita, firma, & gravissima testimonia, nisi molestum esset. Præcipuè verò inter principes veros, Imperatores græcos, Philippum Bardanicum, Leonem tertium Iconomachum, Constantinum Copronymum, Constantinum VI. Sunt, qui aras ac statuas divorum everterunt. Talis erat Thomas imperator, à furente plebe, quam Clerus irritaverat, Constantinopoli in ipso Sophiæ templo mactatus. Etiam Fridericus imperator, ad Othonem Ducem Bavariæ scribit, multos Antichristos Romanensibus inesse, neq; alios magis, Christianæ religioni exitio esse. Quanti Philippus rex Fran-

Francorum Bonifacium Pontificem fecerit, annales Gallorum testantur. Hunc & fatuum esse, & nulla vel minimâ saltem dignum salute judicavit. Testis majestas & nomen regum, principum, imperatorum, augustissimum conculcatum, jura divina atq; humana ab Ecclesiæ Romanæ præside conculcata esse. Damnati principes ad frena, stapedes, sellas, pelues, paropsydes. O patres verè principum? Divinitas quædam est, regum dignitas, primo secundùm Deum honore afficienda non ad tam vilissima famulantium officia alliganda. A præsulibus quid apportatur? Negant adversarii Pontificem errare posse. Testem Cardinalem Zabarellam, testem Nilum Archiepiscopum Thessalonicensem advoco, qui Papam, dum veritatem cœlestẽ tenet ac tuetur, & Christo, summo veroq; Ecclesiæ Domino ac capiti adhæret, patitur & caput ecclesiæ esse, & summum sacerdotem, & Petri vel etiam omnium Apostolorum successorem esse. Si verò à veritate discesserit, nec ad eam redire velit, meritò pro damnato rejectoq;

jectoq; habendum. Testis idem Nilus, vanitate ac mendacio plenissimum esse, Papam omnes judicare, ipsum verò à nemine judicari debere. Testis Bernhardus, Pontificem Romanum à vero pietatis & fidei scopo aberrasse, à quo disertè, dilucidè, nominatim appellatur Antichristus, filius perditionis, homo peccati, dæmonium non modò diurnum, sed etiam meridianum, quod non solum transfiguratur in Angelum lucis, sed extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Testis Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis, à quo Gregorius septimus Romanus Pontifex in celebri Reginoburgensi synodo Antichristus nominatur, & qui prima Antichristi regni jecerit fundamina, qui leges commutat, suas sancit, contaminat, decipit, spoliat, fraudat, occidit, in cujus Antichristi fronte blasphemiæ nomen scriptum est. Deus sum, errare non possum. Testes Florentini Episcopi, Antichristum esse natum. Testis Otto Bavarorum princeps, episcopos in Synodo Myldorffiana congregatos, Romanum episco-

piscopum nominasse Antichristum. Testis Vigilantius Episcopus, Nicolaus de Demangiis, Guilhelmus de S. Amore, Petrus Cassiodorus, Petrus de Vineis Iureconsultus, Reinaldus Episcopus. Testes alii innumeri, stylo & voce testantes, Papatum à vera Christi fide & pietate degenerasse.

Quid loquuntur inanima? Testes in delubris eorum cerimoniæ, initiationes, indulgentiæ, divorum reliquiæ, simulachra mortuorum, aræ, sacella, acerræ, aspergilla, stolæ pontificiæ, vestes cruciatæ, calasirides, infulæ, religionem Romanorum à Christi & Apostolorum institutis alienissimam, ethnicorum & Iudæorum ritibus quàm proximam esse. Testes provinciæ, urbes, opida, campi, flumina, rivi, fossæ, cædibus & cruore fidelium nobilitatæ, vitam & religionem Romanensium ad inhumanas Antichristi leges conformatam esse. Testes in singulis regnis & provinciis viæ, semitæ, trivia, compita, in his erecti pali, statuæ, imagines, simulachra lignea, lapidea, linea, argillacea: testes denique in ædibus privatorum portæ, januæ,

januæ, aulæa, vasa, parietes, lapides, cementa, cultus, mores, ritus, superstitiones Pontificiorum gentiles & aniles esse, nec quicquam cum divinissima, pura, integerrimá, inviolata Christi & Apostolorum fide habere commune.

Magna testium copia magnam facit caussæ confidentiam. Quod rarum in foro, ipsæ adversariorum partes, ipsa rei controversæ materia, ea pro testimonio dicunt, quæ non ad Romanorum sensum. Tandem resurget crucifixa veritas,

Suis & ipsa Roma viribus ruet.

CONCLVSIO.

Hæc dixi, nobilissimi Catholici, veritatis amore excitatus. Vos, quæ vestra æquitas & prudentia est, operam hanc benignè exceptam, ad judicii libellam expendite. Integerrima sunt ad Christum omnia. Scripturas habetis, normam illam, ad cognoscendas controversias divinissimam, infallibilem, sufficientem. Diversa hominum judicia ad aures & animum vestrum admittite, recta eligite, probate. Fidem Christi ad

prima illa revocate initia. Politicorum est, si imperia iisdem artibus retinerentur, quibus acquiruntur, non esse tot mutationes habituras res humanas. Patiatur hoc divina Christi religio, ut quorum auctorum legibus constituta, eorundem conservetur. Leges & auctores sunt: Scriptura, Christus, Apostoli. Hos audite. Quicquid conciliorum, Pontificum, patrum, traditionum humanarum est, Scripturis, Christo, Apostolis, tanquam igne varia metallorum genera, explorate. Tolletur subitò varietas religionum, si ad primas leges fuerint expensæ. Non æternum est, quod diuturnum. Non optimum, quod antiquum. Est suus quidam delectus rerum diuturnarum & antiquarum. Si vos in hoc sacro censuræ officio auctoritas Antistitum retinet, quid facturi? Amatis libertatem regum beneficio roboratam. Quàm turpè fuerit, animos in republica liberos, in foro conscientiæ, serviles gerere! Hoc igitur agite, ut propriâ cohortatione ad studium cognoscendæ veritatis excitemini, divinæ gloriæ & vestræ salutis causâ, quam vobis ex animo precamur, ex officio precari debemus.

LECTOR BENIVOLE, Auctoritates sparsim & intercisè meminimus. Loca auctorum rara ad notantur. Hoc te, quæso, ne turbet, Industriam & diligentiam antagonistarum æmulari animus erat, quæ seorsim loca scriptorum de sententiis agitatis, de erroribus & paradoxis testantium apponerent. Sed laborem non ante confecimus, quàm loco nostro tranquillitatis plenissimo dimoveremur. Nunc peregrinamur à statione litterariâ, à sarcinulis nostris remotiores. Nec te fugit, quàm singularis memoriæ labor, auctorum nomina, inscriptiones, paginas, capita & capitum articulos semel animo concepta, semper retinere. Tu nobis, lector, aurem & mentem. Nihil à nobis prompsimus: sed quæ in sua volumina scriptores retulerunt, in libellum conjecimus. Celeriùs ad scopulos suas appellet rationes, quàm auctoritatem falsò testabitur, vir bonus. Illud judicii culpa: hoc depravatæ voluntatis vitium est. Si qui erunt; qui defectum hunc querantur, audebimus (labore secundo) ad rationes nostras ac-

cessionem eorum omnium adscribere, quæ nunc desiderantur. Nihil adversariis à nobis defuturum est. An hæc diximus, si probanda fuerint, non probabimus? Maximè, & digitum ad loca intendemus rogati. Pauca tamen, quæ in præsentia occurrunt, & nunc tangemus.

In rat. II. Nihil est tam voluntarium. *Vide Lact. l. 5. c. 20.*

Affirmāt Hebræi *Ioseph: in vitâ suâ.*

Olim Christiani *Lact. l. 5. c. 21.*

Augustinum hîc audio. *August. de nupt. & concup. ad Valerium l. 2. c. 33. Sed respondent adversarii, vocari scripturam ab Augustino judicem impropriè, sicut Iuristæ quandoq; suum Iustinianum. Alium non agnoscit Augustinus alibi, remotâ & suâ & suorum (at hi doctores Ecclesiæ, spiritu sancto imbuti) auctoritate. In Psal. 57.* Auferantur è medio chartæ nostræ: procedat in medium codex Dei: audi Christum dicentem: audi veritatem loquentē.

Hieronym⁹. *Super Epist. ad Eph. l. 1.*

In rat. III. Novi Ecclesiarum rectores. *Vetus ordo in officiis personarum, quæ præsunt, duplex: temporarius & perpetuus. In Illo Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ. In hoc: Doctores, Pastores, Episcopi, Seniores & Diaconi. Novos rectores sequentia tempora designarunt. Papas, Cardinales, Archiepiscopos, Metropolitanos, primates, decanos, archidiaconos, Præpositos, Archipræsbyteros, Subdiaconos, ostiarios, Exorcistas, Psalmistas, Acolitos, Abbates, monachos, Iesuitas & infinitos monachorum ordines.*

In rat. VI. Theophylactus *in Ioh. c. 10.*

Socratem *l. 3. c. 7.*

Teste Irenæo *l. 2. c. 19.*

Mutiū Pansam *c. 52. de Oscul. phil.*

Locum Platonis *in Phædone.*

Rectè Tertullianus *de Idol. Apud Ciceronem 1. de Finib. atomi, inane, imagines, idola nominantur.*

Latiùs Iureconsulti *Conr. Lag. in Iur. Meth. p. 1. c. 7.*

Ex Blondo *de Triumph. Rom. l. 2.*

Creavit Numa *Cic, pro domo suâ.*

Fuit id credo *Polyd. Verg. de rerum Iuventione l. 4. c. 14,*

In rat. IIX. Tota Trinitas. *Athan. de Vnit. fidei.*

Omnis Natura. *Ista & seq. è Bernbardini de Busti codice, qui Mariale inscribitur p. 12. s. 2.*

Diabolus pretium. *Vide August. de Trin. l. 13. 14. & seq. Ambros. epist. 77.*

Papa non tantùm vocatur-*Hæc in Romanorum codicibus & Can. Pontif. haberi, dubitat nemo. Vide Distinct. 96. Can. Satis: & Ioan. 21. de Verb. signif. Can. intergloss. Plura qui petit loca, Brutum illud fulmen assignat copiosa. Fidem auctoris & meam probaturus, probet omnia.*

Maria duodecim. *& seq.* Gens Mahumeti *& seq.* Nos nũc dicimur. *Omnia ista paradoxa & nugas Romanas promo è Bernhardini de Busti ordinis Seraphici Francisci codice, quem ego theologiam Romanorum erubescentem appositissimè voco. Minus nobis mirum videri deberet, si privati operis excusatio locum habe-*

beret. Sed librum Sixti IV. Romani Pontif. approbatione munitum legimus. Adde censuram quoq; Dominici de Penzono ejusdem ordinis prædicatore Apostolico adhibitam esse.

Difficiliùs peccare. *Horum in disputatione nostra Smiglecii cum Iesuitis habitâ, Iesuita auctor extitit. Disputatio illa in publicum edita.*

Omnia amicorum. *Auctor Clem. Papa epist. 5. Illud quoq; dictu fœdum, adversariis tamen factâ sponsione probatum: Præstat clericus septem concubinas ut habeat, quàm unam conjugem.*

Si Papa infinitas *Vide in Can. Pontif. dist. 40. Si Papa. Damus hoc extra caußam? Pelle, pelle, si per censuras omnium mortalium licet, è numero paradoxorum.*

Monacho licet. *Baldus in l. si tibi filius. & l. si paterfamilias.*

In rat. X. Beelzebub princeps *Lavacrum Conscient. omn. sacerd. Impress. Lyptzik per Baccalarium Wolffgangum Monacensem Anno salutis 1497. die verò*

3 Mensis octobr. cap. 4. de vitio luxuriæ & aliis vitiis fol. 12. b.

De his tantùm. Genus dicendi si forte uspiam immitius, nec satis adversariorum sensibus accomodatum, gravius fortasse laturi sunt. Debet equidem auribus omnium morigerari oratio. sed cum justissima caussa, ferociores aliquando, impotentioresq; nos reddat, ignosces sententiis, durius, quàm velles, sonantibus. Descendunt illæ (mihi crede) à temperantia & moderatione, nec tam asperè sonant, ut à lege modestiæ longo abeant intervallo. Non sum in ea hæresi, quæ ferocissimas odii affectiones in adversarios exercet, & fœdissimis convitiis proscindit. Cujus exempla in theologis Romanorum recentia. Ostrovium intelligo, & similes Pontificiæ disciplinæ alumnos. Ille, dum imperitè, dum malignè scripta nostrorum eruditissima vellicat, tam superbè veritati, inq; assertorem ejus insultat, ut omne contumeliarum genus evomuisse, omnes palæstricos animi motus, expressisse videri possit. Veritas, me hercle, non amat petu-

petulantia, sed moderata ingenia, à quibus defendi vult. Hostem allicit ad se, non repellit. Quem verò inquinamenta verborum alliciant? Quem non repellant? Aquæ puræ usus, præsens est. Cœno turbatæ, nullus. Ita veritas modestè defensa, & honesto dicendi genere commendata, facilè hominem ad suos usus conjungit. Eadem convitiorum, contumeliarum & talium sordium congerie inquinata, nullos animos hominum sibi conciliat. Quæ si à Romanis, cessent tam insolenter, tamq; petulanter in adversarios invehi. Optimæ caussæ hoc proprium est & suum, modestè falsum refellere, honestissimè verum defendere. Pessimæ, incertis rationibus & argumentis constrependo, acerbè, petulanter, inimicè adversarios insectari. Beata ætas, quæ in vita hominum regenda, totam disputandi rationem posuit. Utinam & moribus nostris ad morem veterum translatis, ut vivamus, disputemus; non ut disputemus, vivamus. Opto minimè speranda. Docet Christiana disciplina ex veteri auctoris sui instituto, quæ faci-

 enda,

enda, quæ fugienda: & finem hunc è rerum disceptatione amat summum. Prima Christianorum ætas nequaquam ab hoc officii genere deflexa: media & postrema extra modum. Imus in contrariæ vitæ officia. An fatalis iste omnium disciplinarum morbus? Similem casum gentilium Philosophia sortita est. Seneca ad Lucilium: Antiqua sapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit. Et tunc meliores erant viri. Postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus, in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurq; disputare, non vivere. *Vale.*

NOTÆ *Ad* APPENDICES VILKOVIANAS.

LECTORI.

CAmpianum latinum Polonâ linguâ à Casparo Vilkovio donatum, & Serenissimæ Polonorum Reginæ dicatum, ante annos plures legimus, unà cum ejusdem Vilkovii appendicibus, quas rationibus Campianis quibusdam interjecerat, in nos potissimum, uti videmus, pugnantibus. Dedimus igitur hasce breves notas, quæ sententiam nostram defendant, & crimina, quæ passim in appendicibus objici videas, diluant. Dabimus olim rerum & verborum feraciores, si occasio tulerit. Vale.

NOTÆ
Ad
APPENDICES VILKOVIANAS.

PAg. 7. *Ait Vilkovius:* Certitudinem & auctoritatem scripturarum variis atq; inter se discordantibus versionibus publice editis labefactari. *Quàm absurdè dictum! Varietas versionum pendet à varietate interpretum, quibus eadem mens, versiones suas ad fontes Hebræorum & Græcorum exigere, eo fine, ut scripturæ suam auctoritatem & certitudinem habeant, nedum ut auctoritas earum rescindatur. Requirit hoc passim verborum vis, quam in aliud atq; cæteri accipiunt, sæpius duci posse, paria Romanorum probant studia. Requirit interpretum quorundam oscitantia, fallax ingenium, & alia hominum vitia, ut omnia, normæ infallibilis staterâ expendantur. Putasne omnino necesse esse, ut omnium mentes sese ad unius interpretis ductum applicent?* Non exemplum, non

legem à Romanis pete. Illi ab uno à pluribus, à variis atq; inter se discordantibus constituta labefactant, rescindunt. Quæ vulgatæ editionis auctor edidit, probavit Romana Ecclesia. Quæ Lyra, Arias Montanus, Vatablus, Pagninus; eorum fidem Romanus censor, auctoritate suâ munivit. At hi varii scripturarum interpretes, à se, frequentes, verbis, universa re & totâ sententiâ dissentiunt. Necesse igitur est, alterum sit de duobus, aut Vilkovium opinione suâ falli, aut exempla censorum Romanorum pro nobis militare. In hypothesi valebit dictum, si dictis suis adversarii fidem firmam & infallibilem fecerint. Seriò causam hanc pleriq; Romanorum agunt. Quàm felici eventu? Additiones, quæ sententiæ nostræ faveant, in versionibus nullæ. Frigida hæc calumnia, silentio non rejectiunculâ digna.

Ausum quendam scribere, scriptis novi Testamenti, nihil magis corruptum & depravatum. *Auctorem non excuso, si eo sensu, quem audio, dictum protulit. Ex sequentibus intelli-*

go, in qua hæresi fuerit Budnæus, quam erroneam & impiam cum Romanis judicamus. Hoc misso, aliud audiamus.

Alium, cum non posset veram Christi divinitatem apertè in scripturis expressam, ibi: Et verbum erat Deus, & Qui est Deus benedictus super omnia, è medio pellere, ausum in versione sua affirmare, divum Iohannem aliter scripsisse, nõ, verbum erat Deus, sed, verbum erat Dei. *Rectène an secus auctori talia adscribantur, nescio. Non enim exemplar ad manus. Publicè Ecclesiæ nostræ testantur, totum hunc D. Iohannis contextum, uti sonat, genuinum esse. Diversas quorundam opiniones, quas privata contextus parit explicatio, totius Ecclesiæ non sunt sententiæ. Dabimus sigillatim & nos infinitum exemplorum numerum, de quibus aliter privatorum judicia, aliter Romana judicat Ecclesia. Hoc si inter Catholicos salva religionis Catholicæ integritate ferendum, quis jure nostras Ecclesias exagitet?*

Czechovicius

Vocem, Deus, à quopiam religioso ad textum D. Pauli adſcriptam. *Eadem poſterioris hujus exempli ratio. Si verè in auctorem crimen hoc conjectum, is verò certis Patrum teſtimoniis ſuam defendit ſententiam, cur auctori defenſa opinio ſit fraudi? Memini me in Cypriano locum hunc legere, vocem Deus non repperi. Marginatoris gloſſema vidi, mirum eſſe, in exemplaribus vetuſtiſſimis non addi Deus, quum ſit apud Græcos. Linquamus hæc cenſoribus. Eraſmus Roterodamus locum hunc egregiè explicat, ſalvis Græcorum codicibus. Iam vide, quid adverſarius conſectetur.*

Alios ſcripta novi teſtamenti è bibliis exterminaſſe. *Argivam calumniam! Aliam hæreſim intelligit? Scilicet, ut idem crimen in eos, quos jam depravatæ ſcripturæ egit reos, derivet? Notum hæreſis Catholicæ ingenium, eadem crimina in confuſas hæreſes conferre.*

Pag. 10. Scripturas ab hæreticis explicatas, abſurdas & inter ſe diſſonas eſſe, teſtantur verba illa: Hoc eſt

eſt corpus meum, in quorum gratiam magnum explicationum numerum collectum, lites & perſequutiones creaſſe. *Nec concors, nec diſcors ſcripturarum explicatio, veræ aut pravæ explicationis argumentum. Miraris, ſexcentos dari hujus loci explicatores? Mirare, ſexcentos & propè infinitos hujus loci in Romana hæreſi depravatores fuiſſe, quibus ad unum ſcopum haſtam ſuam collineare, propoſitum erat.*

Pag. 11. Noſtras Eccleſias mirum in modum & variè ſcripturas explicare. Exempli gratia, verba illa divi Iohannis: In principio erat verbum. Per illum facta ſunt omnia. Qui cum eſſet in forma Dei. *Idem accidit Romanis explicatoribus, quibus mira explicationum varietas rectiùs obijci poteſt. In his exemplis conſenſum eorum agnoſco. Excute tamen concordem ſententiam. Exige ad normam ſcripturarum & materiam ſubjectam, abeſſe non poterit, quin admirandam quandam, Prophetis, Chriſto, Apoſtolis*

ſtolis ignotam explicationem eorum verborum animadvertas. Declarant hoc noſtri aperte, prolixè, & demonſtrant, quorum rationes hactenus inconcuſſæ, ad iras, calumnias, inſectationes, convitia, dicteria, minas deniq; adverſarios provocarunt.

Pag. 14. Docet, quo ſolatio utantur Lutherani ab Eccleſia Romana excommunicati. *Evidenter falſum. Solatium Lutheranorum eſt: noſſe, Romanam Eccleſiam errare: noſſe, viam ad ſalutem non ex inſtituto Romanæ Eccleſiæ, ſed ex norma ſcripturarum infallibili petendam. Quam certè cognitionem, aut conceptam in animis Lutheranorum opinionem non anteceſſit Romana excommunicatio, quod fieri oportebat, ſi poſtulato Vilkoviano credendum.*

Eodem ſolatio Evangelicos à Lutheranis, Anabaptiſtas ab Evangelicis ejectos, ſeſe conſolari. *Quaſi verò non ipſi Evangelici a Lutheranorum cœtu, alii ab Evangelicis ſpontè diſceſſerint, nullâ excommunicationis pœ-*

nâ

nâ diſceſſionem antegrediente.

Dignam conſideratione inſipientiam. Veram Eccleſiam his ultimis temporibus maximè patefactam nec probant, nec oppugnare ceſſant. *Magna ſapientia, noſſe errantis Eccleſiæ inſipientiam. Magna inſipientia, Eccleſiam tot errorum invictis argumentis convictam, & quam nullo amplius fundamento, niſi ſuomet nomine, niti poſſe, ex tot tantisq; diſputationibus didicimus, fugere nolle.*

Vident, Eccleſiam Romanam firmam ſtare: conatus e contra adverſariorum otioſos eſſe. *Videmus Eccleſiam Romanam ſuis ſedibus ruere, regnis florentiſſimis, provinciis, opidis, vicis, maxima deniq; Europæ parte privatam, ſuam ſententiam non firmis ſcripturarum & primorum principiorum argumentis, ſed leviſſimis conjecturarum ponderibus, ſed ſuo Eccleſiæ titulo & auctoritate, ſed armis, munerum privatione, aqua & igni, exilio, convitiis, execrationibus, contumeliis, thraſonico & militari vet-*

riverborum insultu defendentem. Contrà, solem veritatis exortum magis magisq́, collucere, tenebras pelli. Mutuis doctissimorum studiis, primam Ecclesiæ Christi faciem redire. Sed enim veritas a plurimis inter spinas seritur & vixdum exorta, passim premitur. Intelligo. Adsunt tamen, quorum animos monita illa divina perstrinxêre: Arate vobis ara-
Ier. 4. tionem novam, & nolite serere inter spinas. *Et nonné sydera, quæ interdum delitescunt, rursum se aperiunt?*

Docent & clamant, Ecclesiam Romanam, non esse veram Ecclesiam. *Ita est, & verè docent, firmo nixi scripturarum fundamento. Veram esse, qui doces, Romanam Ecclesiam? Romanæ ecclesiæ auctoritate. Hoc quid est?*

Ad disputationes in hac materia superbè provocant. *Nunquam, nisi lacessiti accedunt, Disputant modestè. Testis Smiglecensis, Novocastrensis in Litvania, & Lublinensis disputatio. Testantur idem scripta recentia, quæ ab utraq́, parte in publicum emittuntur. Non Scarga,*

alterum disputationis suæ libellum, verborum ampullis plenum: non Ostrovius responsionem arrogantem, contumeliosam, & vix plebeis auribus dignam: non Przewodovius (animam Ostrovii germanulam) castrense & minax scriptum in lucem emisisset: non horum scriptis nostri restitissent; nisi adversarius prior Scarga argumento disputandi provocasset.

Si quæras, putasné Ecclesiam Luteri, aut Calvini, aut Anabaptistarum eam esse, quæ tot nominibus in scripturis commendatur? Hic valdè hæsitant. *Nugæ. Clarè, liberè, & sine tergiversatione respondemus, nullam Ecclesiam primis Christianorum Ecclesiis magis conformem, nostra Ecclesiâ, idq́, ratione doctrinæ & pietatis. Contrà, nullam Ecclesiam primis Apostolorum Ecclesiis magis contrariam, Romanâ Ecclesiâ, ratione utriusq́.*

Sin ægrè assenserint, non sine appendice, multa in eâ desiderari. *Verè ita respondemus, aut falsò. Si inferius; benè est, nihil in Ecclesiarum convenientia desi-*

desiderari. Sin superius: satis est, nobis omnino persuasum esse, remq; ipsam loqui, nostram doctrinam cum primitivis Christianorum Ecclesiis consentire, multis licet, quæ citra fidei & pietatis cultum abesse possunt, desideratis. Sed itané respondemus?

Si rogaveris, dicta certis rationibus & miraculis confirment, id se facturos negant. *Quis negavit hoc unquam? A nobis rationes sunt copiosæ, constantes, hactenus ab impetu adversariorum securæ. Ab Ecclesia Romana quid? Romana Ecclesia. Vter suam caussam rectiùs & solidiùs probat? Ille, qui principiatum alio extra principiatum principio certo (omnium judicio) & infallibili defendit? an, cui principium & principiatum (utrunq; verò apud alteram disputantium partem controversum) idem? Miraculis rem probè confirmatam, iterum atq; iterum confirmari necesse non est. Salus nostra, quum primùm enarrari cœpit, ab Apostolis erat confirmata, quibus Deus, signa, prodigia, variæ virtutes & Spiritus*

Spiritus sancti dona, præbebant testimonium. Eadem né jam primum enarrari incipit, ut miraculis ad eam confirmandam sit opus?

Illicò in Ecclesiam Romanam impetum faciunt, clamantes eam non esse veram Ecclesiam. *Scilicet præmissis certis firmis & immotis quæstionis hujus argumentis. Cætera, quæ adjecit, verba loquuntur.*

Pergit Vilkovius ratiocinari Pag. 20. Si nulla concilia celebranda, si eorum decreta violari possunt, quo fine sua concilia (speciatim Racoviensem & Sendomiriensem objicit synodum) agitant? *Probamus concilia & conciliorum decreta. Distinctè tamen. Agitantur in conciliis materiæ, quæ ad normam scripturarum infallibilem exiguntur. Fertur quandoq; de rebus suâpte naturâ liberis sententia. Nihil novi decernitur, nedum, ut quippiam decretis divinis contrarium statuatur. Hunc finem Racoviensis & Sendomiriensis habet synodus. Cæterùm decreta, quæ novos fidei articu-*

articulos condunt, decretis divinis contrarios, non omnium ferunt suffragia. Nec, ut ferant, digna. Ejus generis decretorum in Conciliis Romanis infinitus numerus. Quæ caußa, cur statuta Romanorum tantopere aversemur. Canones synodorum tolli & violari posse, docent frequentia Romanorum exempla, quorum brevem enumerationem Hieronymus Moscorovius vir nobilissimus in sua nobili contra Scargam responsione, attulit. Si Romani sua rescindunt, cur nobis non liceat Romana?

Confessiones, formas & regulas à nostrâ synodo tradi, ad quas assectatores vel jurisjurandi periculo obstricti trahantur, alios, nisi ad eorum constitutiones accesserint, cœlo indignos judicari. *Fabulæ. Calumniæ. Quod in prima Apostolorum & primigenæ Ecclesiæ synodo conclusum:* Hoc si custodieritis, bene agetis: *eadem concludendi servatur ratio. Romanorum est, hæreses, & quicunq; in sententias conciliorum Romanorum jurare abnuerint,*

infra omnes terræ abyssos amandare, vitam eorum appetere, ferro, igni, aquâ, (absit modò caußa impediens) persequi. Itáne conclusionem synodi Hierosolymitanæ aliter atq; exordium æmulantur.

Usum conciliorum per scripturas & spiritum proprium tolli posse. *Dictum hoc æque Romanis, qui sese spiritu quodam vehementer jactant.*

Si tam necessariæ eorum & tantæ auctoritatis synodi, cur non potiùs antiquissima Christianorum concilia? *Caußa superiùs dicta, quam a novis fidei articulis, decretis Christi & Apostolorum contrariis, sumo. Æternitas doctrinæ eorum interrupta atq; nulli mutationi obnoxia, omnem novitatem & mutationem, quamcunq; cursus temporum invexerit, judicat erroneam. In hoc crimen totus Romanorum Patrum numerus conjectus, fidem suorum conciliorum suspectam prodit, auctoritatem minuit, tollit.*

Pag. 23. De Gregorio Pauli, cujus mentionem Stancarus & Campianus fecêre,

cêre, brevem pertexit historiam. *Ea res Gregorio fuit vituperationi, quòd Calvinum, quem Augustino quondam præferebat, mutatâ animi sententiâ, contempserit. Cur hoc non liceret? Sydus tenebris, luna syderibus, sol exortus lunâ gratior est. Iudicium Philippi Melanchtonis quàm divinum? Sed enim præsensit fore, ut turbido hujus viri ingenio Polonia motibus quibusdam agitaretur. Quinam illi? Doctrinarum de Trinitate, de divinitate filii Dei, de Pædobaptismo, rejectio; errores inquam, quorum Arrius, Samosatenus, & Anabaptistæ auctores, linguâ Polonâ per Poloniam, latinâ per Germaniam & Hungariam disseminati. Hominem non novi, & nunc ab iis, qui noverant, remotus, nihil amplius addo. Hoc tamen, præsensionem turbarum minimè caussari errores, hinc inde suo tempore disseminatos. Quis nescit, veritatis face exortâ non minimos exoriri motus? Trinitatis doctrinam & Pædobaptismum qui reijcit, opiniones Platonicorum & Romanorum rejicit. Veram divinitatem Filii Dei non ipse Gregorius Pauli negavit unquam. Adducit adversarius trium sectarum principes, quorum sententias inter se maximè discrepantes nemo unquam nisi forsan secum temporum intervallo dissentiens, probavit. Arrius non entia fingit, ex quibus Filius Dei creatus, creator cæli & terræ futurus. Invocari posse Filium Dei, negat. Samosatenus, teste Philastrio, Christum Dei filium non substantivum ac personalem & sempiternum esse cum Patre docuit: sed prolativum tantùm, id est, quasi aërem quendam esse, non autem personam vivam & sempiternam cum sempiterno Patre credendam. Epiphanius scribit, Samosatenum renovasse Artemonis hæresin. Asserit autem hic, Deum Patrem & filium & Spiritum sanctum unum Deum esse. In Deo autem semper esse ipsius verbum & Spiritum ipsius, quemadmodum in hominis corde est proprium verbum, non esse autem filium Dei in substantia, sed in ipso Deo. Hæc deliria hæreticorum nunquam a Gregorio Pauli, nedum ab Ecclesia nostra probata. Veritati*

ritati magis consonum, omnes hæreticos, paucis crassioribus exceptis paulum a Romana Ecclesia recedere. Et quid Romana religio, nisi hæreticorum germen? Quæ in Vilkovio sequuntur, rejectione indigna.

Pag. 24. Hæretici, cum uno consensu Romanam Ecclesiam oppugnant, Doctores Romanos turpiter insectantur. Privatâ inter eos lite exortâ, altera hęreticorum pars in alteram pugnans, Doctores, quorum subsidio utitur, commendat. *Hæreticos tales intellige, quorum principia partim scripturæ, partim Romanæ Ecclesiæ definitiones, Patrum consensus & traditiones. Cæteri uno scripturarum principio contenti, nunquam Patres aut Romanæ Ecclesiæ pronunciata appellabunt, nisi cum Romanenses mutuis armis ruere posse intelligunt.*

In appendice rationis octavæ, affert quandam paradoxorum enumerationem antagonista, quorum alia verissimorum axiomatum nomen merentur, alia immeritò nostris Ecclesiis adscripta. Svadeo sese ab hac paradoxorum enumeratione sustineant. Infinita, si placet, è Romanorum scriptis in commentarium referam, quæ absurdissima & impia. Conjeci quædam ad hujus ordinis rationem, sed quæ passim erant obvia, & tenaciùs animo inhærebant. Si evoluero Mariale Monachi Seraphici, Baraletum, Discipulum, Dormi secure, Mammæ tractus, Catholicum, Conformitates Francisci, Holcotum, Bricotum, Gabrielem Bielum, & alios vetustiores, totus animus ad paradoxa Romanorum absurdissima perhorrebit.

Pag. 40. Trinitatis & personarum res & vocabula conficta. *Personæ vocem communis usus probavit: rem, quam probat Romanus, scripturæ negant. Trinitatis vocabulum Philosophicum esse, ante diximus, alibi ostendimus. Inventum est Zoroastri, Hermetis, Porphyrii, Procli, Pythagoræorum & Platonicorum, à quibus ad Theologos Romanos traductum. Rem ab iisdem videri confictam, docemus alibi: & ipsi fatentur adversarii, apud quos Zoroaster, Mercurius Trismegistus, Plato,*

Plato, Numenius, Proclus, Porphyrius & similes apertiùs tantum promunt & explicant mysterium, quàm omnes Prophetæ, Christus, Apostoli. Recentiores Platonicos, qui Patrum Romanorum attigerunt tempora, non excuso. Hermetem, Platonem & veteres philosophos ab omni horum mysteriorum suspicione alibi vindicavimus.

Nihil aliud Deus, quàm Pater. *Explico Deus, quem principio carentem, naturâ Deum, & a quo absolutè omnia, dicimus, non alius est, quàm Pater Domini nostri Iesu Christi. Quid hoc ad paradoxon?*

Deus, tam essentia, quàm persona, unus est, is verò Pater tantùm. *Mirè citatum. Explico tamen. Divina essentia seu persona, quæ naturâ Deus, una est, Pater videlicet Domini nostri Iesu Christi. Vtriusq; membri testis Apostolus:*

1 Cor. 8. Nobis unus est Deus, Pater, à quo omnia, & nos in ipsum.

Christus non ea ratione Deus est, quà Pater. *Idem fatetur Romanus theologus, qui Patrem, quà gignit, Filium, quà gignitur, agnoscit Deum. Eadem ne ratio divinitatis in Patre & filio? Vera diversitas evidenter e scripturis petitur: Christus, quatenus a Patre sanctificatus & in mundum missus; Pater, quatenus a nemine sanctificari, nec mitti potest, Deus est. Locum consule Ioh. 10.*

Eâ ratione Deus est, quâ creatura Deus esse potest. *Evince Christum esse cæli & terræ creatorem, contrarium admittimus. Nunquam hoc docebis. Sensit idem Arrius, quod Romana Ecclesia. In eo dissensit, quòd Patrem filio priorem, naturâ & tempore, dixerit. Quam opinionem Romani fugiunt, & Patrem quidem filio priorem fatentur, sed ratione ordinis, non temporis. Quid audio? ordinis nullum esse tempus? Sed Christum Deum agnoscimus, quem nulla creatura divinitatis suæ ratione antecellit.*

Deus est, uti & Moses, sed major. *Quanto major sit Mose, docet ex parte auctor epistolæ ad Hebræos:* Moses quidem fidelis fuit in tota domo ipsius, ut Heb. 3.

us,ut famulus., ad testificanda, quæ post dicenda erant: At Christus, ut filius,domui suæ præest.

Nomen filii, Christo additum. *Christus,quia de spiritu sancto conceptus, solâ videlicet divinâ virtute operante,verè & propriè dicitur Dei filius,addo, naturalis Dei filius. Quod nomen Christo æquè competit, atq; homini ex homine producto,ratione producentis.*

Dictus filius primogenitus. *Negat hoc Ecclesia Romana?*

Dei filius est, hîc natus. *Rectè illi, qui ex vico Bethlehem, ubi erat David,*
Ioh. 7, 42. *venturum Christum ajebant. Hoccine paradoxon?*

Patrem & matrem habuit. *Patrem, quo tamen prognatus non est. Matrem,ex qua natus.*

Iesus pro filio Dei reputatus.*Imò ipsissimus Dei filius est.*

Non alia ratione Dei filius est, quàm ea,quâ & nos filii Dei sumus, & futuri sumus. *Negamus hoc. Christo, præter Deum, nemo fuit pater: nam suum*

suum esse ex admiranda Dei Patris actione & operatione habuit. Exemplum simile in hominibus nullum. Christus talis Dei filius est, qui credentibus in se potestatem dedit, ut filii Dei fierent. Atqui hæc potestas nulli credentium concessa. Christus solus a Deo hæres universorum constitutus,uti verus & proprius Dei filius:cæteri homines non item.Nescio,quem opinionis hujus auctorem adversarius habuerit.

Homo,non Deus aliquis,pro nobis traditus. *Scilicet ratione naturæ. Deus nec in mortem tradi, nec quicquam pati potest.*

Homo prorsus,non mixtum quid. *Erat igitur mixtum quid? Vnio naturæ divinæ cum humana. Vnum hoc ex adynatis, quod nec scripturarum testimoniis, nec solidis rationis humanæ argumentis defendi potest, & paradoxi nomen jure meretur.*

Homo tantùm. *Ratione naturæ.* Vnus Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.

ſtus. *Cur non adjectum, Deus & homo, ut qui mediatoris partes egit, naturam divinam & humanam habuiſſe audiatur? Duo, quæ ſequuntur in adverſario, ejusdem rationis ſunt.*

Nec Deus ab æterno erat, nec reipſa extitit. *Vnum Deum patrem ab æterno fuiſſe, qui credit, alterum non agnoſcit Deo uni ab æterno exiſtenti parem. Moſes:* Audi Iſraël, Dominus
Devt. 6. Deus noſter, Deus unus eſt. *Quod ſequitur in Vilkovio, idem eſt.*

Cœpit fieri ex muliere. *Natum ex Maria virgine Chriſtum quis negat? Apoſtolus:* Poſtquam venit temporis
Gal. 4. plenitudo, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. *Eſt hoc paradoxon?*

Creatura Dei eſt. *Apoſtolus expreſ-*
Col. 1. *ſe ait,* Chriſtum eſſe primogenitum omnis creaturæ. *In Apocalypſi voca-*
Apoc. 3. *tur:* Principium creaturæ Dei. *Nunquid & hoc paradoxon? Loci equidem de nova creatione loquuntur, ſed in quem hæc cadit, in eundem & vetus.*

Gloriam Patris non habet, neq; eam

eam a Deo ſibi datam habet. *Hoc Franciſci Davidis & Glirii (teſtatur hoc adverſarius) delirium. Quem noſtrûm ferit? Nos omnino cum ſcripturis fatemur,* judicium omne datum filio, ut omnes honorent filium, prout honorant Patrem.

Deus omnipotens in filio ſuo unigenito juſtificat & ſanctificat igne & Spiritu ſancto, aquâ cœleſti, & ſanguine ejus innocuo, precioſo, non aquâ Iordanis terreſtri. *Iuſtificatio noſtra eſt gratuita a peccatis abſolutiò. Porrò baptiſmus aquæ, de cujus fine hic agitur, in eum finem a Iohanne Baptiſta, Chriſto & Apoſtolis inſtitutus, ut per hanc externam cerimoniam Iudæi & gentes ad Chriſtum accederent. Nec alium finem aquæ baptiſmus in ſcripturis habet. Aliûs generis baptiſmus, alium habet finem.*

Baptiſmum non eſſe cauſſam ſalutis. *D. Marcus innuit, ad ſalutem, fidem & baptiſmum requiri: ad condemnationem unam incredulitatem ſufficere. Ver-*

ba Christi sunt. Qui crediderit & baptisatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. *Non repetit baptismi cerimoniam, cujus privationem sequatur damnatio. Docet igitur comparatorum consequentia, & fidem ad salutem: & incredulitatem ad damnationem, non adhibitâ baptismi cerimoniâ, sufficere. Quanquam multo verius est, Evangelistam non de aquæ baptismo, sed de vera pœnitentia, quam animi & spiritus nostri ablutionem dicimus, loqui. Respicit enim baptismus aquæ eum finem, quem diximus, publicam nominis Christi professionem, cujus vera pœnitentia comes est individuus.*

NB.

Non est doctrina aut institutum Christi, non Patris ejus, peccata per aquam cerimonialem tolli. *Probetur contrarium. Cyprianus ad Quirinum:* Parum est baptisari & eucharistiam accipere, nisi quis factis & opere perfecit. *Si parum hoc, baptisari, quomodo per aquam baptismi tollentur peccata? Sequentium, quæ adversarius ex*

c. 26.

au-

auctore apponit, fateor me non satis sensum assequi. Legem & Prophetas ad defensionem hujus articuli adducere velle, vanissimum est.

Ostenso, quod petit, respondi: non de aqua locum intelligendum, sed de Spiritu: vel, non Apostolum hæc scribere: vel ostendatur id in Prophetarum scriptis. *Vox aquæ & baptismi homonyma, non semper cerimoniam illam, quæ fit per immersionem aquæ, significat. Peto probari, nullos alios, præter communissimum, vocem baptismi habere significatus. Baptismatum aliâ sunt aquæ, aliâ crucis, aliâ doctrinæ, aliâ initiationis. Aqua vel propriè sic dicta, vel pœnitentia, quæ animos & corda nostra reddit pura. At negato, aliquid ab Apostolo scribi, facilè contrarium probat adversarius, loco ex Apostolis citato. Ad prophetas qui pro decisione hujus controversiæ recurrit, nihil agit. Nescio, unde hæc in calamum aut mentem adversarii irrepserint.*

Alterum articulum non a Deo,

 non

non a Christo Domino institutum: omnes, qui Cænam Domini, accepto pane & vino a sacrificulo vel Ministro non manducaverint, damnari. *In quem sensum hæc dicta, vix ex consequentibus divino. Id fortasse paradoxon objicit, parum interesse, ut quis ad cœnam Domini accedat. Quis auctor hujus sententiæ? Cerimonia hæc unica, quam Christus ad diem usq; novissimum a suis retineri voluit. Si de fine quæstio est, hunc Apostolus paucis expressit:* Quotiescunq; ederitis panem hunc, & poculum biberitis, mortem Domini annunciatis usquequo venerit. *Alios fines scriptura nescit.* Dictum iri: phantasticum hominem & ab Ecclesia excommunicatum hæc scribere. *Verè hariolatus. Nos addimus, linguam hujus apostatæ rixari (ut ait Themistius) secundum Euripidem, mentem verò nequaquam, nec animum. Vtinam fenestratum adversarii pectus fuisset, quò non uni Momo, sed omnibus ancipites sententiæ & secum in clausis pectoribus certantes, verè patuissent.*

a Cor. 11

Phantasticum verò? atqui probat scripturis, & Spiritum sanctum jactat. *Vbinam gentiū probationes illæ?*

Cuncta ex proprio capite fieri, integrâ & sanâ doctrinâ, censurâ item nullius admissa. *Nihil statuimus, nisi id evidenter, aut per justam consequentiam e primis & infallibilibus religionis nostræ principiis deduci queat. Iudicia & censuras aliorum admittimus, sint modò ad normam principiorum probè expensa.*

Populus novi fœderis est regnum spirituale, quod spiritu sancto a Deo gubernatur, non cerimoniis aut constitutionibus externis. Externo igitur sacramentorum usu opus non habet. *Hæc, & quæ sequuntur, verba Czechovicii sunt, non Socini, cui iniquè adscribuntur, conformata & directa in eos, qui institutionem Cœnæ Domini tollerent. Socini sententia fuit, cerimoniam istam novi fœderis unam & æter-*

ternam esse, in Ecclesia Christi retinendam, dum judex cælestis apparuerit vivos & mortuos judicaturus.

Pag. 43. Promit jam Sciamachiæ exempla, quæ Arrianorum sint, & quæ nos ab Arrianis cepisse putat. Nihil ab Arrianis ad Ecclesias nostras traductum, neq; a nobis Arrianorum sententias pro principiis agnosci, rectè & solidè a nostris alibi defensum.

Nec filium nec spiritum esse eundem cum Patre Deum. *Hoc ex eo, quod Pater sit verus Deus, rectè concluditur. Ratio consequentiæ manet stabilis & consolidata. Aut unus Deus est, aut plures. Si unus, atq; is Pater, nec filius nec Spiritus sanctus ad eandem Patris divinitatem admitti possunt. Si possunt, prodit Sabelliana hæresis, filium esse Patrem, Patrem filium, Spiritum sanctum idem, quod Pater, quod filius. Non enim alius ab alio ulla re dissidet, si una eademq; omnium essentia.*

Veram Christi divinitatem negari. *Contrarium liber ille aureus de Divi-*

vinitate filii Dei a nostris in lucem editus, asserit. Hoc negamus, Christum eundem esse Deum, qui Pater, id est, naturam in Christo divinam, quæ solius Patris est, nec evidenter, nec per justam consequentiam e scripturis probari posse, contendimus. Ratio a natura humana sumitur, quæ in Christo est, nullis sophismatum machinis expugnabilis. Qui naturâ Deus est, homo non est: qui homo, naturâ Deus non est. Valida hæc naturarum oppositio, quam Romana theologia conatur dissolvere, naturas, uti rem finitam & infinitam inter se dissidentem, uniendo, sed nullo argumentorum, præterquam theologiæ Romanæ fundamento. Opinio Samosateni superiùs exposita.

Pœdobaptismum tolli per exempla adultorum. *Rectè tollitur, negato & defenso, posse contrarium exemplū in scripturis dari. Non desunt tamen, quorum in demonstrationibus usum habemus, alia longe firmiora, quæ ex aliis locis sumuntur, argumenta. Cætera, quæ adversarius huic appendici adnectit, ver-*

ba sine rebus sunt, vel crassiusculi judicii adsensu indigna.

Hæc breviter ad appendices Vilkovianas. Crimen a nobis depellere animus erat non disputare: quorum hoc patentiorem scribendi campum, angustiorem illud postulat. A nobis unum illud est & infallibile religionis Christianæ principium, Scriptura. A Romanis, Ecclesia Romana, mater fidei Catholicæ. Illam nemo est, qui erroris ullius accuset: hujus auctoritas adhuc controversa. Audemus igitur fidenter agere, errores Romanorum refutando, & crimina objecta diluendo. Illi hoc potius, quod olim Israëlitæ Ecclesiam suam insolentiùs jactantes, audiant: Iudicate matrem vestram: judicate.
Ose. 2. Quoniam ipsa non est uxor mea, & ego non ampliùs vir ei.

Errata.

Pag. 9. lin: 20. lege *infallibilibus* p: 10. l: 4. *scripturæ* p: 22. l: 17. *sonant* p: 24. l: 13. *infinitam* p: 31. l: 17. *auctam* p: 34. l: 11. *exstructam.* p: 57. l: 20. *promissum* p: 59. l: 12. *scripturarum* p: 60. l: 6. *Ecclesiasticis.* p: 61 l: 2. *Ignatius.* p: 63. l: 25. *Ecclesiastitcis* p: 65. l: 2. *consequenda,* p: 67. l: 3. *Irenæo.* l: 7. *bonum,* p: 68. l: 7: *sententiam,* p: 89. l: 15. *si.* p: 121. l: 4. *myriades.* p: 122. l: 9. *laruarum* p: 128. l: 2 *de Clemangiis.* p: 101. l: 14. *animos monarchæ.*